DISPUTATIO HISTORICO-JURIDICA

DE

ORIGINE ET FONTIBUS LEGUM XII TABULARUM.

DISPUTATIO HISTORICO-JURIDICA

DE

ORIGINE ET FONTIBUS LEGUM XII TABULARUM,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

PRAESIDE

JACOBO VAN HALL,

J. U. D. ET IN ILL. AETHN. AMSTEL. JURIS CIVILIS CUM ROM. TUM HOD. PROFESSORE,

AD PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONIT

AUCTOR

ARNOLDUS CAROLUS COSMAN,

J. U. C.

CLIVIENSIS,

AD DIEM XX MAJI, HORA XII—I.

IN MAJORE ATHENAEI AUDITORIO.

AMSTELODAMI,

TYPIS C. A. SPIN,

MDCCCXXIX.

VIRIS CLARISSIMIS,

CORNELIO ANNE DEN TEX,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. J. U. D. ET IN ILL. ATHENAEO AMSTEL. JURIS NATURAE, GENTIUM ET PUBLICI PROFESSORI,

ET

JACOBO VAN HALL,

J. U. D. ET IN ILL. ATHENAEO AMSTEL. JUR. CIVILIS CUM ROMANI TUM HODIERNI PROFESSORI,

PRAECEPTORIBUS

OMNI NOMINE DE SE MERITIS

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Proposuerat clarissimus Ordo Philosophiae Theor. et Litt. Hum. in Academia Lovaniensi anno 1825 *quaestionem hanc :*

» Dijudicetur nobilis illa Romanorum traditio, leges XII Tabularum ab Atheniensibus esse petitas; ita quidem ut, et veterum ea de re testimoniis examinatis et indole potissimum ipsarum legum explorata, statuatur, utrum quae illarum cum Atticis ac Doricis maxime legibus similitudo reperiatur, ex Romanorum illius aetatis ingenio ac moribus queat explicari, an peregrinae earum origini sit tribuenda.''

Misi responsum ad illam quaestionem, ut de praemio certamen inirem. Praemium cessit Viro Cons. Xaverio Carolo Eugenio Lelièvre. *Placuit tamen Ordini scriptionem meam secundis ornare honoribus.*

Commentationem praemio ornatam anno 1828 *se accepisse mihi significarunt Viri Cl.* den Tex *et* van Hall, *praeceptores humanissimi. Eam per-*

legerunt, et postquam meam item scriptionem legendam iis praebuissem, multum iis differre inter se visae sunt hae commentationes, cum argumenti pertractandi ratione, tum ipsis sententiis et placitis, ad quae ejusdem argumenti investigatio scriptores duxisset.

Haec cum ita essent, et cum Ordo philosophorum et literatorum Lovaniensium meam quoque scriptionem per se spectatam praemio dignam judicavisset, monuerunt praeceptores, ut eam typis describendam curarem, et deinde in nostro Athenaeo exercitii causa ad publicam disceptationem proponerem.

Cessi Clarissimorum praeceptorum votis. Scriptionem edo, qualem eam Lovanium misi, additis tamen et emendatis nonnullis, quae deinde addi aut corrigi oportere deprehendi. Et his praemonitis benevolum lectorem, ut aeque et benigne de juvenili hocce specimine judicet, etiam atque etiam rogatum volo.

DISPUTATIONIS CONSPECTUS.

CAPUT TERTIUM. Explicantur leges XII tabularum ex populi romani moribus et ingenio.

Emendet L. B. usurpatum subinde ς pro ϛ.

Pag. 13. lin. 32 *alia in* caet. lege *alia praeter prodigia in* caet.

" 38. " 31 Meiere et Platnere lege Meieri et Platneri.

" 73. " 18 *accurrat* lege *occurrat.*

INTRODUCTIO.

Inde a superioris saeculi initio (1) quaeri coeptum est, an fides revera esset habenda Livio, Dionysio, aliisque, qui legatos in Graeciam missos, et leges XII tabularum inde petitas esse tradiderunt. Graves hac de re lites inter viros doctos sunt agitatae. Et sane quaestio summi est momenti. Si enim attendimus, quibus laudibus tum veteres (2), tum recentiores fere omnes illas leges evexerint, antiquitatis studiosorum maxime intersit oportet scire, utrum in patrio Romanorum solo exortae sint, an vero Graecorum philosophiae et prudentiae civili debeantur. Fuerunt Romani ille populus, cujus stupendam potentiam nunc etiam suspicimus, cujus victricia semper arma, quae per universum fere terrarum orbem circumtulit, nunc etiam summam nostram admirationem excitant. Sed non minores laudes consecuta est eorum prudentia civilis, cujus rei nescio an ullum melius afferri possit argumentum, quam

(1) Giambattista Vico, *Principi di una scienza nuova intorno alla natura delle nazione.* Napoli, 1725. Germanice interpretatus est W. E. Weber, qua editione usi sumus. (2) Loca, quae huc pertinent, congessit Gothofredus in *quatuor fontibus juris civilis* apud Ottonem in *Thesauro Jur. Rom.* Tom. III. p. 67. Vid. etiam quae addidit Otto in praefatione ad d. Tom. III. p. 22.

omnium fere Europae populorum, fugatis medii aevi tenebris, in recipiendo Jure Civili Romano consensus. Verum enim vero quid Romanis ex his laudibus superest, si XII tabularum leges revera e Graecia sunt petitae? » Qui nunc quoque," ut de suo tempore ait Livius (1), » hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique est » Juris." Cur tantae sapientiae laudes tribuendae Decemviris, qui sic e peregrinis legibus tantummodo quasdam elegerunt?

At non propterea solum, ut de Romanorum prudentia rite existimare possimus, quaestio illa accuratius pertractanda videtur; aliud accedit, quod idem maximopere suadet. Antiquiores scil. Juris Romani interpretes in XII tabularum legibus restituendis ita saepius sunt versati, ut ad exemplum legum Graecarum vel novas prorsus leges effingerent, vel eas, quas in XII affuisse jam noveramus, ita supplerent et emendarent, ut Graecis legibus prorsus responderent (2). Imo ulterius quidam progressi sunt. Sic fuerunt, qui contra Gellii, Quintiliani et Tertulliani auctoritatem, legem illam de debitoribus nectendis in XII Tabulis fuisse negarent, ob eam tantummodo causam, quod contrarium statuerat Solon (3).

Cum autem quaestio de origine XII tabularum maxime a collatione legum Graecarum et Romanarum pendeat, quidam difficultatem moverunt, eam haud facile dijudicari posse, quia nec Solonis, nec Decemvi-

(1) L. III. C. 34. (2) Vid. Dirksen, *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der XII Tafel-Fragmente.* Lipsiae 1824, pag. 302, Coll. nota 374[b] et Petito *in legibus Atticis*, p. 545. (In *Jurispr. Rom. et Att.* Tom. III. Lugd. Bat. 1741). Vide eundem Petitum p. 189. (3) V. Otto d. *praefat.* pag. 23.

rorum Leges integras habemus (1). Nobis vero, instituta collatione, quae supersunt reliquiae abunde sufficere videntur, ut satis certum de quaestione judicium feramus. Et quidem de iis, quae de XII tabulis supersunt nulla potest esse dubitatio. Sed quaeri possit, utrum leges illae Atticae, quae servatae sunt in scriptis oratorum, omnes sint Solonis, an vero recentioris originis. Etenim magnas saepe mutationes subiisse leges Solonis, apud veteres legimus (2); quae si jus privatum etiam spectaverunt, vereor, ne temere omnino agam, si jus, quod ex oratoribus cognovimus, ut quaestionem illam dijudicem, cum XII tabulis conferam.

Inprimis hic nobis attendenda est legum recensio, quae Euclide archonte est absoluta, quippe qui juris fons tempore oratorum fuisse videtur. Ejectis scil. triginta tyrannis, per quos, fixis et refixis legibus, turpis Solonis *axonibus* illata est labes, publice decretum est, ut leges recenserentur, interea autem Athenienses legibus Solonis et Draconis uterentur (3). At videtur illa recensio maxime jus publicum spectasse, quippe quod praesentim a Tyrannis illis turbatum fuerat. Est enim apud Scholiasten Aeschinis apud Wesselingium d. l. citatum: τὴν πάτριον πολιτείαν τῶν Ἀθηναίων καταλύσαντες κ. τ. λ. Juris privati fons semper Solonis axones fuisse videntur, unde etiam Cicero *pro Roscio Amer.* C. 25: » ejus civitatis" (Athenarum), inquit, » sapientissimum » Solonem dicunt fuisse eum, qui leges, quibus hodie » quoque utuntur, scripserit."

Quo tamen tutius de quaestione judicarem, non tantum eas leges, quae aliquam cum Atticis similitudinem habent, ex ingenio Romanorum explicui, sed praeter-

(1) V. Terrasson *Hist. de la Jurispr. Rom.* p. 85. (2) V. Wesseling in *praef. ad* Petitum pag. 3. in fine *sq.* (3) V. Wesseling: d. l. p 4.

ea integrum Caput adjeci, in quo universas leges XII tabularum e patriis Romanorum moribus petitas esse ostendere conatus sum; quo Capite etiam praeterea opus fuit, ut si possem refutarem eorum Doctorum Virorum sententiam, qui leges XII tabularum ab Hermodoro confectas esse voluerunt.

Caeterum quaestio mihi pertinere tantum visa est ad X priores tabulas; nam licet, si leges Graecas descripserunt legáti, secundi uti primi anni Decemviri iis uti potuerunt, tota tamen Decemviratus historia aliud mihi indicare videtur. Causa, cur Decemviri iterum creärentur, et duae posteriores tabulae adjicerentur, tum priorum Decemvirorum fuit ambitio (1), tum universe patriciorum fraudes, qui tribunorum plebis potestatem jam abrogatam restitui nolebant (2). Revera leges non defuisse, vel potius patricios non ideo iterum creari voluisse Decemviros, ut, quae deessent, supplerentur, vel illud solum probat, quod leges, quas prioribus addiderunt, prorsus iniquae fuerunt (3), unde eas magis e Decemvirorum libidine fluxisse, quam e patriis moribus aut peregrini populi institutis petitas fuisse, ultro patet.

Nec etiam insunt in duabus posterioribus tabulis, quae multum ad quaestionem nostram facere videantur, si solam excipias legem de servo noxae dedendo, quae tam arcte cohaeret cum lege de pauperie quadrupedum, ut, si haec e moribus potius populi Romani, quam e Solonis legibus petita esse probetur, etiam verisimile fiat, illam ex eodem fonte manasse.

(1) V. Livius L. III. C. 34 „*vulgatur rumor*, duas deesse tabulas'' Cf. C. 35 init. (2) Dion. Hal. L. X. C. 58 „ τὸ δὲ μάλιϛα πεῖσαν ἀυτοὺς προελέσθαι τὴν δεκαρχίαν, ἣν ἡ τῶν δημάρχων κατάλυσις." (3) V. Cicero *de Rep.* L. II. C. 37. Dion. Hal. L. X. C. 60. Orosius L. II. C. 13. Zonaras L. VII C. 18. Tom. I. p. 347. Ed. Paris. 1686.

Quod ad historiam literariam quaestionis attinet (1), primus Livii, Dionysii aliorumque leges XII tabularum e Graecia petitas esse tradentium auctoritatem impugnavit Giambattista Vico, Italus, (anno 1725) qui in opere jam supra citato, p. 153 *sqq.*, legatos in Graeciam missos, et leges inde petitas esse negavit. Animadvertendum tamen est, hunc quidem ingeniosum et doctum virum sibi non satis constitisse, cum alio loco, nempe ejusdem operis p. 487 in fine *sq.*, scribat, censum Servii Tullii, quae institutio in ipsa urbe exstitit, causam et fundamentum fuisse libertatis publicae, minime vero XII tabulas, *quae Athenis Romam pervenerant.*

Viconis sententiam deinceps tuiti sunt: Bonamy, in tribus dissertationibus de origine XII Tabb. (anno 1735—37) (2); Gibbon, History of the decline etc. C. 44. (1788), qui legatos *Athenas* missos esse negat, nec quidquam Decemviros e legibus Solonis desumsisse putat. Aliquam tamen vim in leges Decemvirales habuisse statuit institutiones civitatum Magnae Graeciae. Et eodem fere tempore idem fere censuit Ganassoni, Italus, in dissertatione hoc de argumento conscripta; porro Levesque, *Histoire Critique de la republ. Romaine* (anno 1807) Tom. I. pag. 179 *sq.*; Niebuhr, *Römische Geschichte*, Tom. II. p. 67. (A°. 1812), et Wachsmuth, *die Aeltere Geschichte des Röm. Staates*, p. 369. (Halle 1819), qui Athenis legatos non fuisse contendunt, sed quaedam forte e Magna Graecia juris placita allata fuisse putant; Wenceslaus Alexander Macieiowski, in *Historia Juris* (1820; Ed alt. 1825) Per. I. 2. 3. et in *Opusculis* (1823) p. 102 *sqq.* omnia, quae de legatione in Graeciam missa, et de Hermodoro apud veteres scriptores narrantur, tanquam

(1) De qua conf. *Thémis* IV. p. 304 *sqq.* (2) *Histoire et Memoires de l'Académie royale des inscriptions et belles lettres* Tom. XII. *Memoires* p. 27 *sq.*

ficta rejicit (1). Neque aliam sententiam nuperrime tuitus est XAVERIUS CAR. EUG. LELIÈVRE in Commentatione de legum XII tabularum patria, qua praemium reportavit ab Ordine Litt. hum. in Academia Lovaniensi anno 1826 (2).

Contra, veteres historicos defendunt DAMIANI, *Defesa istorica delle leggi grecche venute in Roma contro alla moderna opinione del* GIAMB. VICO. Napoli, 1736. TERRASSON, *histoire de la Jurisprudence Romaine,* Paris 1750, p. 82; STRAMIGIOLI, *dissert. intorno al transporto delle Rom. legge del XII tavole della Grecia,* Napoli, 1791; Abbas VALERIANI, *Legge del XII Tavole esaminate etc.* Milano, 1802; BOUCHAUD, *Comment. sur la loi des douze tables.* 1803. Tom. I. p. 14 *sqq.* et SEBASTIANI CIAMPI, *novum examen loci Liviani de legatis Athenas missis* etc. Wilna, 1821.

Etiam EVERARDUS OTTO in d. *praef.* ad Tom. III. *Thesauri* p. 5 *sq.* eatenus Livio aliisque historicis fidem habet, ut *quaedam* e jure Graeco maxime Attico, *plura* ex antiquis moribus et legibus regiis petita statuat. Sed videtur vir doctissimus ignorasse Viconem, eosque, qui eum secuti sunt, scriptores.

Divisionem disputationis sic instituemus:

Capite I° testimonia veterum examinabimus, ibique agemus de iis, quae tam arcte cum ipsa quaestione cohaerent, ut a se invicem divelli nequeant, de legatione sc. in Graeciam missa, et de Hermodoro Ephesio. Statuemus autem hic, quid ex his solis testimoniis, omnibus aliis argumentis omissis, de quaestione dicendum foret.

(1) Prioris operis censuram scripsit Cl. J. VAN HALL, *Bijdragen tot Regtsgel. en Wetgeving*, Tom. I. pars 2. pag. 238 *sqq.*; ubi sententiam hanc tuetur, legatos quidem in Graeciam missos esse, at leges tamen XII Tabb. vere esse Romanas. *Opusculorum* censuram v. in *Thémis ou Biblioth. du Juriscons.* Tom. VI. p. 269 *sqq.* (2) In *Annal. illius Acad.* 1825-26.

Capite II° Leges XII Tabb. conferemus cum legibus Atticis, ibique ostendere conabimur, paucas vel nullas esse leges Decemvirales, quae cum his legibus conveniunt; maximum vero inter omnes fere intercedere discrimen, ut merito dicas, Decemviros non curasse leges Solonis, quo tempore XII tabulas conficiebant. Ad calcem Capitis observationes quasdam adjiciemus, de legibus tum Doricarum tum aliarum Graecarum civitatum.

Capite III° ostendere conabimur, quomodo in *omnibus* fere conveniant leges XII tabularum cum ipsis populi Romani moribus, quod superiore Capite jam ostenderamus de iis legibus, quae Atticis sunt similes.

Caput Primum.

EXAMINANTUR VETERUM TESTIMONIA.

§ 1. *Proponuntur veterum testimonia.*

Communis est veterum traditio circa A. U. C. 300 legatos in Graeciam esse missos, qui leges inde petierunt, quibus deinde ad suas legum tabulas conficiendas usi sunt Decemviri. Scriptorum loca, quae huc pertinent, haec sunt:

Dion. Halicarn. L. X. C. 51, ubi Romilius in Senatu: „κεφάλαιον δέ ἐςὶν ὧν ὑμῖν παραινῶ, πρέσβεις ἑλέσθαι, τοὺς μὲν εἰς τὰς Ἑλληνίδας πόλεις τὰς ἐν Ἰταλίᾳ, τοὺς δὲ εἰς Ἀθήνας· οἵτινες αἰτησάμενοι παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς κρατίςους νόμους, καὶ μάλιςα τοῖς ἡμετέροις ἁρμόττοντας βίοις, οἴσουσι δεῦρο." — Cap. 52: „πρέσβεις ἀπεδείχθησαν οἱ τοὺς παρ' Ἑλλήνων νόμους ληψόμενοι, Σπόριος Ποςούμιος, καὶ Σερούιος Σουλπίκιος καὶ Αὖλος Μάλλιος."— C. 54: „ἐν δὲ τῷ αὐτῷ καιρῷ παρεγίνοντο ἀπὸ τε Ἀθηνῶν, καὶ τῶν ἐν Ἰταλοῖς Ἑλληνίδων πόλεων οἱ πρέσβεις φέροντες τοὺς νόμους." C. 56, Decemviri creati „τρεῖς τε οἱ κομίσαντες παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς νόμους."— C. 57: „οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφισὶν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν κ. τ. λ."

Livius, L. III. C. 31. « Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas Sp.

Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus, jussique inclitas leges Solonis describere, et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque noscere." Cap. 32. » Jam redierant legati cum legibus Atticis." — C. 33. »His (septem sc. jam electis decemviris) proximi habiti legati tres, qui Athenas ierant, simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos; simul peritos legum peregrinarum usui fore credebant."

Porcius Latro, *in Declam. in* Catilinam C. 20, de lege agens in XII tabulis, qua coetus nocturni prohibiti: » Majores olim nostri, sapientissimi homines, et sine dubio gravissimi, num leges e Graecia per legatos suos accersendas esse putarunt, quibus hanc imperii magnitudinem perpetuo stabilirent, ut tu homo recens severitate illarum cum barbatulis tuis abutereris?"

Tacitus, *Ann.* L. III. C. 27. « Creati decemviri, et accitis, quae usquam egregia, compositae XII Tabulae."

Plinius, *Epist.* L. VIII. Ep. 24, ad Mummium in Graeciam missum: » Habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis miserit jura, quae leges non victa acceperit, sed petentibus dederit, Athenas esse, quas adeas, Lacedaemonem esse, quam regas."

Florus, Lib. I. C. 24. « Allatas e Graecia leges X principes lecti, jubente populo, conscripserant etc."

Gellius, *Noct. Att.* L. XX. C. 1. » Orta mentio est legum Decemviralium. Eas leges Sext. Caecilius, inquisitis exploratisque multarum urbium legibus, eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas dicebat."

Pomponius, in fr. 2 § 4. D. *de O. I.* 1. 2 » Placuit publica auctoritate Decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus."

Dio Cassius, L. 44. p. 285. Ed. Stephani 1592, ubi

Cicero in Senatu, de Athenis: „ παρ' ἧς οὐδὲ οἱ πάτερες ἡμῶν ἐπαγαγέσθαι τινὰς νόμους ἀπηξιώσαν κ. τ. λ."

Eusebius *in Chronico.* » Romani per legatos ab Atheniensibus jura petiverunt, ex quibus XII tabulae confectae."

Victor, *de viris illustribus* C. 21. » Populus Romanus Decemviros legibus scribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tralatas XII Tabulis exposuerunt."

Ammianus Marcellinus L. XXII. C. ult. » Et Solon sententiis adjutus Aegypti Sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum."

Symmachus Epp. L. III Ep. 11. » Arma a Samnitibus, insignia a Tuscis, Leges de lare Lycurgi et Solonis sumseramus."

Augustinus *de Civ. Dei*, L. II. C. 16. « Si autem a Diis suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annis post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis, quae tamen non, ut acceperunt, tenuerunt, sed meliores et emendatiores facere conati sunt; quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex auctoritate Apollinis se constituisse confinxerit; quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt."

Servius ad *Aen.* VII. v. 695. » Faliscos aequos dicit Virgilius i. e. justos, quia P. R. missis Decemviris ab ipsis Jura Fecialia, et nonnulla supplementa XII tabularum accepit, quas ab Atheniensibus habuerunt."

Orosius L. II. C. 18. » Legati ad Athenienses propter Solonis leges deferendas missi exspectantur." Et deinde: » potestas Consulum Decemviris tradita constituendarum legum Atticarum gratia."

Cassiodorus *in Chronico.* » Legati Athenas missi ad describendas leges."

Isidorus L. V. *Orig.* C. 1. » Populus Romanus Decemviros legibus scribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tralatas XII Tabulis exposuerunt."

Zonaras L. VII. C. 18 Tom. I. p. 346. (Ρωμαίοι) τρεῖς ἄνδρας εἰς τὴν Ἑλλάδα διὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ παρ᾽ ἐκείνοις ἔθη πεπόμφασι."

Referri huc etiam forte potest Justinianus in § 10 Inst. *de Jure Nat. Gent. et Civ.* » Et non ineleganter in duas species Jus Civile distributum esse videtur, nam *origo* ejus ab institutis duarum civitatum, Athenarum scil. et Lacedaemoniorum fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat, ut Lacedaemonii quidem magis ea, quae pro legibus observabant, memoriae mandarent, Athenienses vero ea, quae in legibus scripta comprehendissent, custodirent."

Ciceronem *pro Flacco* C. 26, qui generalius dixit, et Athenaeum *Deipnos.* L. VI. C. 21, huc non referri posse puto.

Loca haec, praeter illa Plinii in *Epist.* et Dionis Cassii, omnia apud Gothofredum inveniuntur d. l. p. 61 *sqq.* Addendus nobis, qui Gothofredum adhuc latuit, Lydus *de Magistratibus pop. Rom.* Apud quem L. I C. 34, haec leguntur: „ Γαῖος ὁ νομόγραφος μετὰ τὴν τῶν Κυαιςώρων τὴν δὲ δεκανδρικὴν ἀναφέρει ῥήμασι πρὸς ἑρμηνείαν τούτοις. πολλῆς δὲ συγχύσεως τῶν νόμων, οἷα μὴ γράμμασι τεθειμένων ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καὶ τοῦ δῆμου διαφορᾶς, δόγματι κοινῷ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δῆμου πάντες μὲν οἱ ἄρχοντες ἐκινήθησαν, δέκα δὲ μόνοις ἄνδρασι τὴν φροντίδα τῆς πολιτείας παρέδοσαν. Αὕτοι δε ςέλλουσιν (ἡ ἱςορία φησὶν) εἰς Ἀθήνας Σπούριον Ποςούμιον, Αὖλον Μάρκιον καὶ Πούπλιον Σουλπίκιον, ἕως καὶ τοὺς λειπομένους Ἀθηναίων νόμους ταῖς δεκαδέλτοις ἀναλάβωσιν, δέκα προεβάλετο ὁ δῆμος ἄνδρας κ. τ. λ.

Mirus etiam notandus est ejusdem Lydi error, qui

legationem sub Tarquiuio Superbo Delphos missam, cum hac nostra legatione confundit. Vide L. I. C. 31, ubi haec de Bruto: *ὡς δε βραδύνων Ἀθήνησι διὰ τοὺς νόμους, σὺν μετ᾽ αὐτοῦ πρὸς τοῦτο ςαλεῖσιν ὑπὸ Ρωμαίων κ. τ. λ.* De locis Ciceronis aliorumque, in quibus certae quaedam leges e Solonis legibus repetuntur infra dicemus § 5. Nimium tribuere videtur tum Bonamy (1), tum Terrasson (2) loco Gellii, ubi narrat hic (3), se, cum versus Ennii citaretur, in quo occurrebat vocabulum *proletarius*, Ictum quendam rogavisse, quid significaret illud vocabulnm, quod Ennius e XII tabulis acceperat; illum autem respondisse: se illud scire debere, si Jus Faunorum et Aboriginum didicisset. Non enim proprie accipiendus hic locus, ut fecerunt illi, quasi ex illorum populorum legibus desumtas esse leges XII Tabularum voluerit Jctus; alludit tantum ad vetustatem legis Decemviralis et ad obsoleta, quae in ea occurrunt, vocabula.

§ 2. *De auctoritate horum testimoniorum et de fontibus unde petita esse videantur.*

In quaestione an auctori, historiam temporum narranti, a sua aetate remotissimorum, fides habenda vel neganda sit, inprimis attendi oportet, quinam sint fontes, unde sua hauserit. Si enim per se ita se habent illi fontes, ut digni nobis videri debeant, quibus fidem *habeamus*, alia eaque gravissima accedere debent, antequam iis fidem *negare* audeamus. Hujus loci non est critice in *universae* historiae Romanae fontes inquirere; sed de fontibus, unde traditio, de qua agimus, petita esse videatur, tantisper nobis dicendum erit.

Scribendi ars jam pridem Romae adfuit. Vid. Suet.

(1) *Dissert. sur l'origine des XII Tables* d. l. p. 47. (2) d. l. p. 81. (3) *Noct, Att.* L. XVI. C. 10.

in Vespas. C. 8 (1), et alia argumenta apud Wachsmuth d. l. pag. 1 *sqq*., quibus hoc addam, quod certe non video, quomodo census Servii Tulli perfici potuisset, sine provecta satis scripturae notione. — Ab initio etiam confecti fuerunt pontificum annales maximi, » in quibus res omnes singulorum annorum, mandabat literis pontifex maximus." Verba sunt Ciceronis *de Orat*. L. II. C. 12, unde nescio, cur eorum originem a pugna demum ad lacum Regillum repetat Niebuhr (2). Licet enim verum esset, prodigia ante haec tempora non memorari (3), nihil tamen hoc ad rem faceret, cum *omnes* res secundum Ciceronem l. c. in iis consignarentur. Fuit igitur in iis procul dubio etiam conscripta historia temporum, in quae legatio in Graeciam missa et Decemviratus incidit. Minime profecto confectio XII Tabularum ita se habuit, ut tanquam res minoris ponderis in annalibus omitteretur. Ex his igitur petita videntur, quae apud Livium et Dionysium de hac re narrantur. Obstat locus Livii L. VI. C. 1, ubi pleraeque literae et monumenta, urbe a Gallis incensa, interiisse dicuntur; sed non multum ex illo loco contra nostram sententiam effici posse, propterea maxime putaverim, quod addidit illud: *pleraeque*, unde si aliqua traditio occurrit, cujus effingendae causa nulla adfuisse potest, tuto eam veram esse, et ex illis annalibus petitam statuere licet, praecipue si historicae fidei vestigia in ipsa traditione adsunt. Praeterea plurima monumenta, e temporibus, quae Gallicum incendium prae-

(1) » Instrumentum imperii pulcherrimum, quo continebantur *paene ab exordio urbis* Scta etc." (2) d. l. Tom. I. p. 177. In edit. II. quae demum post conscriptam hanc disputationem prodiit anno 1827, Tom. I. p. 257, etiam alia in Annalibus maximis consignata fuisse confitetur. (3) V. tamen Wachsmuth, l. c. pag. 9 et 10.

cesserunt, reliqua a veteribus commemorantur, ut foedus mercatorium cum Carthaginiensibus (1); antiqua tabula, in qua consignatus annus Romae conditae (2), et complura alia, quae vide apud Wachsmuth p. 2 *sqq*. Imo ipsos maximos annales anni U. C. 350 commemorat Cicero (3), qui annus fuit decimus quintus ante incensam a Gallis urbem. Nescio igitur an hac in causà Livio, fontium minime diligentissimo conquisitori (4), plane fides sit habenda. Ut ipse narrat (5), sacra a caede et incendio procul sunt ablata, parte Caere devecta, parte in ipsa urbe defossa. Si autem attendimus, quam arcte illi annales a *Pontificibus maximis* confecti, cum sacris necessario cohaerere debuerint, verisimile omnino fit, etiam hos fideli custodia asservatos fuisse, praesertim cum in ipsa Pontificis maximi domo servati fuisse videantur; certe eos ibi in albo populo cognoscendos propositos esse scribit Cicero (6). Eos in Capitolio servatos esse e loco Suetonii in *Vespasiano* C. 8 (7), effici non potest. Longe enim alia ratio esse debuit Sctorum, plebiscitorum, foederum caet., quae ibi diu post Gallica tempora in Capitolio conflagrata esse narrantur. Haec enim magis remp. specta-

(1) V. Polyb. L. III. C. 22. (2) Dion. Hal. L. I. C. 74. (3) De *Rep*. L. I. C. 16. Merito mireris Niebuhrium (Ed. alt. Tom. I, p. 258 *sq*.) ex ipso illo Ciceronis loco efficere, tempore Gallici incendii *periisse* annales maximos. Cf. *Emend. et Add. ad Ed. II. Hist. Rom.* separatim editae 1828, ubi annum 355 U. C. apud Cic. d. l. legendum esse ex astronomicis virorum quorundam doctorum computationibus statuit Niebuhr. (4) Vid. Wachsmuth p. 34 *sqq*. (5) L. V. C. 39 et 40. (6) *de Orat*. L. II. C. 12. (7) „Aenearumque tabularum tria millia, quae simul conflagaverant, restituenda suscepit, undique investigatis *exemplaribus*; instrumentum imperii pulcherrimum, quo continebantur paene ab exordio urbis SCta, plebiscita de societate et foedere et privilegio universe concessis."

bant, et hinc etiam a Civilibus magistratibus in Capitolio servabantur (1). Animadvertendum tamen est e Suet. l. c. constare *exemplaria* adfuisse, unde verisimile fit, etiam Pontificum annales descriptos fuisse, quorum non minor sane erat usus, quam antiquorum illorum Sctorum.

In libris *linteis* et *magistratuum* etiam forsitan nomina saltem Legatorum et Decemvirorum consignata fuerunt. Videntur enim, quatenus e locis, qui nobis supersunt, in quibus eorum mentio fit, nomina maxime magistratuum continuisse (2).

Cavendum est, ne nimium tribuamus *familiarum memorabilibus*, ut ita dicam, in quibus praecipuum locum obtinuerunt *laudes funebres*, quippe quae saepius ficta erant, et plurimis in historia mendis locum dederunt (3). Nec tamen hinc efficiendum est, nomina illa legatorum et totam legationem prorsus ficta esse et ex illis familiarum monumentis petita. Nam quae fictiones in iis erant, inserviebant ad evehendas majorum laudes, unde falsi triumphi, plures consulatus, genera falsa, falsi imaginum tituli in iis habebantur (4). Legatum vero missum esse ad leges describendas, minime res erat tantae laudis, ut illud falso parenti cuidam tribuere voluissent posteri.

E pontificum annalibus aliisve hujus modi fontibus, aut certe ex annalium scriptoribus recentioribus, qui sua inde petierant, hausisse videntur Dionysius et Livius. Tacitus autem, Plinius et Dio Cassius ii quidem erant, qui et ipsi genuinos fontes adire potuerunt; in hac ta-

(1) V. Suet. in Aug. C. 94. Polyb. L. III. C. 26, Pomp. l. 2, § 21 D. de *Or. Jur.* (2) V. Liv. L. IV. C. 7. et 20 Coll. Wachsmuth, pag. 11. (3) V. Cic. in *Bruto* C. 16. Livius L. VIII. C. 40. Plutarchus in *Numa* C. 1. (4) V. Cic. et Liv. ll. cc.

men re, quam obiter attigerunt, potius communem traditionem secuti videntur. Hoc vero ex illorum scriptorum testimoniis constat, communem illam traditionem etiam confirmatam fuisse iis annalibus et scriptis, quae et ipsi legerant; quod praesertim in Plinio observatu dignum est, cui sc. avunculus, qui quodcunque legeret excerpere solebat, 160 commentarios opistographos et minutissime scriptos reliquerat (1).

Caeteri fere vel communem traditionem secuti sunt, vel ex aliis historicis sua descripserunt.

Verbo dicendum restat de testimonio Servii, qui etiam a Faliscis quaedam XII tabularum supplementa petita esse narrat. Nullus aliorum historicorum Faliscos commemorat. Quid, si illa traditio exinde exstiterit, quod plura, quae rem sacram spectant, ab Etruscis mutuati erant Romani?

Universe igitur de veterum testimoniis circa quaestionem nostram dicendum, quod de omnibus eorum traditionibus verum putamus; sc. nobis non licere eas rejicere, nisi certissima adsint fictionis vestigia. Cum autem viderent nonnulli viri docti, verum esse non posse, leges XII tabularum e Graecis legibus esse petitas, quia nihil fere secum invicem commune habent, necessario etiam totam legationem tanquam fictam rejiciendam esse putaverunt; quod tamen necessarium non esse, jam latius nobis erit probandum.

§ 3. *Quid de legatione in Graeciam missa existimandum sit.*

Fontes illi, quibus Livii et Dionysii auctoritas hac in causa niti videtur, probant tantummodo, legatos missos fuisse; leges vero XII Tabb. e Graecis legibus esse petitas minime inde constat; contrarium e colla-

(1) V. Plinius *Epist.* L. III. Ep. 5.

tione legum Graecarum et Romanarum ostendere conabimur. Quî autem fieri possit, ut prius verum sit, posterius antem facile rejici possit, hoc et sequentibus §§ videbimus. Quod tamen ut rite procedat, res paullo altius est repetenda.

Legem Terentillam, ut vulgo dicitur, quam A. U. C. 292 de certis legibus scribendis rogaverat C. Terentillus Arsa, tribunus pl. (1), et quam sequenti anno repetiit Virginius et totum tribunorum collegium (2), per varias patriciorum fraudes, et per Volscorum, Aequorum, et Sabinorum in haec tempora incidentia bella, ad exitum perducere tribuni non potuerunt. Patres enim optime sciebant, jus non scriptum et incertum magnam sibi in plebem auctoritatem conciliare, tanquam solis in rep., qui jus et scirent et dicerent (3). Itaque id semper egerunt, ut rogationem differrent, cum plebis pertinacia eam prorsus rejici non sineret. Tandem cum tribuni viderent, nec rixas continuas, nec damnatos etiam a plebe (4) consules movere patricios, ut ipsorum petitioni cederent, et leges a *plebejis* conscribi sinerent (5), lenius agere coeperunt, atque jam illud tantum rogarunt, ut communiter et patricii et plebeji leges scriberent. — Saepius jam experti erant

(1) V. Livius. L. III. C. 9. Dion. L. X. C. 1. (2) V. Liv. d. l. C. 10. coll. Dion. L. X. C. 2. (3) Cf. Dion. L. X. C. 1. (4) V. Dion. Hal. L. X. C. 49. „καὶ γενόμενοι τῶν ψήφων κύριοι κατέγνωσαν ἀδικεῖν οὕτως, ὥςε πάσαις ταῖς ψήφοις τῶν φυλῶν ἁλῶναι τὸν ἄνδρα." Cf. Liv. III. C. 31. (5) V. Liv. d. l., secundum quem id revera efflagitasse plebejos dicas, ut ipsi soli leges ferrent, quod tamen in legis argumento, quale est apud Dionys. L. X. C. 3, non indicatur. Conciliare haec possis, si posteriores tribunos, qui hanc legem iterum atque iterum repetierunt, ita illius argumentum mutasse statuas, ut soli plebeji legum latores esse deberent. Sic etiam illud: *abjecta lege*, apud Liv. d. l. commode referri potest ad legem, qua hoc petierant tribuni.

Patres, non nimis irritandam esse plebem, et sibi magis prodesse sua sponte paullulum cedere, quam deinde coactos esse plebi plane morem gerere. Itaque ferendas esse leges tribunis concedebant, laturum leges neminem nisi patricios ajebant. Hoc autem nolebant Tribuni. Tum videntur Patricii (1), ut illos circumvenirent, simulasse utile fore, aliorum populorum leges consulere, antequam novae leges conficerentur, atque hunc in finem legatos esse mittendos Athenas et in alias Graecas civitates, qui leges inde peterent. Sic rursus differebatur rogatio; sic forsitan, reversis etiam legatis, alia adesse poterant, quae, quominus leges ferrentur, impedirent. Patricios non ideo legatos in Graeciam misisse, ut revera legibus inde petitis in conficiendis XII Tabb. uterentur, vel hoc mihi probare videtur, quod reversis legatis non continuo leges scribi curarent; novis rursus turbis opus erat, antequam Decemviros hunc in finem creari sinerent (2).

Fortasse etiam patricii propterea leges Graecas accersendas esse dixerunt, quia plebs nolebat, ut soli patres leges scriberent, nec ipsi patres plebejos ad hunc honorem admittere volebant, quasi simulaverint patricii, nec se, nec plebejos leges esse laturos, sed eas e Graecia esse petendas. Sic praeter rogationis dilationem, etiam hoc sibi commodum poterant sperare patricii, (si

(1) Itaque rejicimus TERRASSONII (d. l. p. 82.) sententiam omni fundamento destitutam, plebejos primos fuisse legationis mittendae auctores; plebeji non novas, sed certas leges volebant. V. infra C. III. § 3. coll. WACHSMUTH p. 345. (2) V. LIV. L. III. C. 32. » domi motus orti," et » eo intentius instabant Tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret." DION. HAL. L. X. C. 54. ad illa verba: *καὶ μετὰ τοῦτο προσήεσαν οἱ δήμαρχοι κ. τ. λ.* et C. 55 in Senatu, ubi de Decemviris creandis agebatur, *ἐλέχθησαν μὲν οὖν καὶ τοτὲ πόλλοι ὑπ᾽ ἀμφοτέρων λόγοι κ. τ. λ.*

tamen cogerentur plebi obsequi,) fore ut faciliores sibi haberent tribunos, ut a patribus solis leges illi conscribi sinerent, cum nempe Graecae maxime leges populo dijudicandae proponerentur, minime vero ab ipsis patriciis confectae. Legati autem et deinceps priores Decemviri omnes fuerunt patricii, ita ut facile illud consilium clam plebem exsequi potuerint.

Haec sententia, utut comprobata iis, quae leguntur apud Livium (1), qui consilium legatos mittendi demum exstitisse narrat e lite patres inter et plebem de eo, *quis* leges ferret, haec sententia, inquam, forte minus probanda videbitur attendenti, severum et patriorum morum tenacissimum Romanorum ingenium non facile sivisse, ut peregrinarum legum codicem in suam civitatem reciperent.

Utut est, fraudibus certe patriciorum tribuenda tota legatio; idque magis etiam confirmatur iis, quae leguntur apud Dionysium, qui paullo aliter rem narrat. Inserit sc. traditionem de L. Siccio Dentato, homine plebejo. Castris in hostium conspectu positis, mittit hunc Consul Romilius, ut una cum 800 militibus, omnibus emeritis, Aequorum castra expugnet, eam ei viam indicans, qua inevitabilis omnibus mors immineat. Servat virum mira tum solertia tum fortitudo. Capit hostium castra. A tergo Aequorum exercitum, qui cum Romanis jam concurrerat, invadit et fugat. Deinde noctu cum sociis, qui ei affuerant, Romam profectus, ibi victoriam suam, et consulis scelus narrat. Negatur consuli triumphus, et ab ipso Siccio accusatus a plebe damnatur. — Et jam videmus eundem Romilium, patricium, consulem a plebe damnatum in senatu assur-

(8) L. III. C. 31. » cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas.'' Qui locus, me judice, aliam explicationem non admittit.

gere, plebis commoda curare, ut leges ferrentur suadere; et legationis in Graeciam mittendae auctorem existere (1). Quid, quid, quaeso, magis patriciorum fraudes indicare potest, quam singula haec? Non ii profecto erant patricii illius temporis, non is erat Romilius, qui privatis simultatibus omissis, de rebus, quae remp. spectabant, ex sola communi utilitate judicarent!

Nec mirae videbuntur illae patriciorum fraudes attendenti, quales artes semper adhibuerint, ad eludendam plebem. Exempla ex ipsa legis Terentillae historia petita vide apud Liv. L. III. C. 9 in fine et C. 10. Hinc etiam capto ab Herdonio Capitolio, tribuni plebis id non bellum, sed vanam imaginem belli esse dixerunt (2); saepius sc. experti, quid sibi a patriciis metuendum esset.

Sine necessitate igitur nonnulli viri docti Livio et Dionysio fidem negantes, legationem missam esse negaverunt. Cui sententiae id maxime obstat, quod adsunt expressa legatorum nomina eadem et apud Livium et apud Dionysium et apud Lydum ll. cc. In traditione autem prorsus ficta ea omnia non tam accurate consignata invenissent (3). Nomina antem illa revera ubique eadem sunt. Quis enim in eo haereat, quod apud Lydum legatur Αὖλος Μάρκιος pro Αὖλος Μάνλιος vel Μάλλιος, ut est apud Dionysium et Livium? aut cum MACIEIOWSKI (4), Livium et Dionysium sibi invicem contradicere statuat, quia hic legatorum nomina fuisse dicit Σπόριον Ποςούμιον, Σερούϊον Σουλπίκιον et Αὖλον Μάλλιον, ille vero eos vocat Sp. Posthumium *Album*, Aulum Manlium et *P.* Sulpicium *Camerinum*? Etsi

(1) V. Dion. L. X. C. 44. *sqq.* Coll. C. 51. (2) V. Liv. L. III. C. 16. (3) Cf. Niebuhr. Tom. II. p. 67. in fine. (4) *In opusc.* p. 113. Eadem habet Cons. Lelièvre *d. Comm.* p. 43.

enim paululum differant in praenominibus et cognominibus legatorum, procul dubio tamen uterque de iisdem personis cogitavit; de quo dubitari non amplius potest, si inspexeris Livium L. III. C. 33. Ibi enim Decemvirorum nomina recensens, trium legatorum, qui ex horum numero fuerunt, nomina ita exhibet, ut ne una quidem litera differant ab iis, quae habet Dion. L. X. C. 52. Unde haud temere dicas, apud Liv. L. III. C. 31. legendum esse *Servium* pro *Publium*, quod a librarii manu profectum videtur. Accedit, quod Livius L. III. C. 10. consulem anni 293 U. C. vocat Servium Sulpicium, qui apud Dion. L. X. C. 1. dicitur Servius Sulpicius *Camerinus*, quod cognomen Sulpicio legato addit Livius L. III. C. 31 (1).

Nec etiam video, cur legationem confinxerint Annales Romani. Ficta saepius dici possunt (modo alia accedant, quae hoc confirmant), ubi quaedam celantur, quae cognita populi Romani gloriam minuissent (2); vel quaedam minus vera traduntur ad augendam illam gloriam aut ad excitandum odium in populos invisos; saepius etiam ex odio patriciorum et plebis in se invicem quaedam conficta esse dici possunt (3). Verum quid in tota narratione de legatione occurrit, quod ob illas causas fictum dicere queas? nisi cum Gibbonio (4) *Athenas* missos legatos ideo a Livio et Dionysio traditum dicas, ut, non a parvis Italiae civitatibus, sed ab Atheniensibus, Periclis temporibus ad summam potentiam evectis, e legibus sapientissimis Solonis XII tabularum originem repeterent (5). At nihil obstare vide-

(1) Cf. VV. DD. ad Liv. d. l. (2) Haec est sententia Niebuhrii de bello cum Porsenna. V. Tom. I. p. 551. (Ed. II. Tom. I. p. 570 *sqq.*) (3) Cf. Niebuhr Tom. I. p. 180. Ed. II. Tom. I. p. 269. (4) *Convers. Gall. hist. Jur.* auctore Cl. Warnkönig p. 5. (5) Idem statuere videtur Niebuhr Tom. II. p. 67 *sqq.*,

tur, quominus illam legationem revera Athenas missam fuisse statuamus. Nam ignotas illo tempore Athenas Romae fuisse non facile mihi persuadeam. Athenae enim illo tempore ad summum potentiae et gloriae fastigium pervenerant, unde verisimillimum est, eas apud Romanos tot Graecis coloniis circumdatos jam illo tempore innotuisse (1).

Videamus jam de argumentis eorum, qui totam de legatione traditionem rejiciunt. Urgent 1°. Ciceronem nusquam hujus legationis mentionem fecisse (2), quare eam fabulam esse dicunt, post Ciceronis demum tempora ortam. — At vero expressis quidem verbis nusquam legationem memorat CICERO, sed *de Legg.* L. II. C. 23. dicit de legibus Decemviralibus translatis de Solonis legibus et *lessum*, vetitum in XII Tabulis, *lugubrem ejulationem* significare indicat, » quia lex Solonis id ipsum vetat," et C. 25, de lege Solonis loquitur, » quam Decemviri iisdem verbis in decimam tabulam conjecerunt;" quibus locis licet non diserte legatio commemoratur, satis aperte tamen, nisi verba Ciceronis torqueas, vulgaris illa traditio confirmatur.

MACIEIOWSKI (3) etiam legationem missam fuisse negat, illique traditioni fidem non habet, tum propter levem veterum auctoritatem, tum propter eorundem hac in causa dissensionem (4). De primo argumento jam vidimus, de secundo nunc accuratius est dispiciendum.

Citat, ut sententiam suam probet, CICERONEM *de Orat.* L. I. C. 44, ubi Cassius: » Fremant omnes licet; dicam, quod sentio; bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII Tabularum libellus,

qui tamen rectius illam fictionem non Livio et Dionysio, sed annalium scriptoribus tribuit. (1) Cf. NIEBUHR, Tom. II. p. 68. (2) V. Ill. MAJUS ad CIC. *de Rep.* L. II. C. 36. n. 2. (3) *In opusc.* p. 102 *sqq.* (4) *Ibid.* p. 118 *sqq.*

si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare." et mox: » Percipietis etiam illam e cognitione juris laetitiam et voluptatem, quod quantum praestiterint nostri majores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, et Dracone, et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac paene ridiculum cet."

Ille vero locus nihil probare videtur. Nam vel primo intuitu patet, quam oratorie, quam hyperbolice omnia ibi dicta sint. Ut commendet Cassius oratoribus studium juris civilis, summis laudibus effert leges XII tabularum, quae quasi fundamentum erant Jurisprudentiae Romanae, et illarum legum auctores Lycurgo, Draconi et Soloni anteponit. Eandem ob causam jus caeterorum populorum ridiculum atque inconditum vocat, quae epitheta certe injuria tribuuntur legibus Solonis et Lycurgi, quibus per tot annos populi, qui iis utebantur, salutem et prosperitatem suam debuerunt.

Elegans sed acutior, ut opinor, quam verior legitur illius loci explicatio apud Terrassonium (1), qui putat, Ciceronem ibi non negare Graecam XII tabularum originem, sed id tantummodo significare, Decemviros leges Solonis, non ut acceperant in tabulas suas inseruisse, sed meliores et emendatiores reddidisse (2).

Addit Macieiowski Dionysium L. XI. C. 44, ubi haec de XII tabulis leguntur: *οὕτω σεμνῶν ὄντων καὶ τοσαύτην ἐχόντων διαφορὰν παρὰ τὰς Ἑλληνικὰς νομοθεσίας κ. τ. λ.* Verum cum locus sit mutilus, et cum praecedentia non noverimus, quis horum verborum sensus sit, non facile assequi possumus. Hoc tamen constat, Dionysium no-

(1) *Histoire de la J. R.* p. 85. (2) Cf. August. *de C. D.* L. II. C. 16.

luisse sibi contradicere, et rejicere ea, quae ipse paullo ante pluribus locis de Graeca XII tabularum origine narraverat (1).

Restat locus Polybii (L. II. C. 12) (2), quem in medium attulit Macieiowski, ut probaret, etiam in eo dissentire veteres, quod alii auctores plures anteriores commemorent legationes, dum Polybius tradit primam Romanorum legationem circa finem demum Illyrici belli (A. U. C. 526) in Graeciam missam fuisse. At summo jure observavit Vir Cons. Berriat st.-Prix, et quem consuluit Longueville (3), illum locum de peculiari quadam legatione esse accipiendum, quod uti forsitán vox ἐπιπλοκὴ (4) probat, tum vel inprimis illud additum: τοίαδε καὶ διὰ ταύτας ἐγένετο τὰς αἰτίας. De legationibus ante Illyrici belli tempora Delphos missis vide Liv. L. I. C. 56. L. V. C. 15 et 28.

In eo etiam dissensionem veterum auctorum circa nostram traditionem videt Macieiowski (5), quod Livius, Dionysius et Zonaras *tres* legatos in Graeciam missos esse narrant, dum Pomponius et Servius ab ipsis *Decemviris* leges inde petitas esse scribunt. Equidem huic argumento tantam vim non tribuendam esse censeo, et in Pomponii et Servii narratione nihil nisi antiquissimae traditionis perturbationem video. Hujusmodi autem memoriae lapsus facile in veteribus scripto-

(1) V. L. X. C. 51, 52, 54, 56, 57, Cf. L. II. C. 27. (2) „Ἡ μὲν οὖν πρώτη διάβασις Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως εἰς τὴν Ἰλλυρίδα, καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς Εὐρώπης, ἔτι δ' ἐπιπλοκὴ μετὰ πρεσβείας εἰς τοὺς κατὰ τὴν Ἑλλάδα τόπους, τοίαδε καὶ διὰ ταύτας ἐγένετο τὰς αἰτίας." (3) V. *Thémis* Tom. VI. p. 273 et 275 *sqq.* (4) *V. Thémis*, d. l. p. 276, ubi illud vocabulum non tantum *commercium*, sed etiam *conjunctionem* quandam significare dicitur. (5) In *Opusc.* p. 113. Eadem habet Cons. Lelièvre d. l. p. 55.

ribus excusantur, quibus dubitantibus non semper exemplaria scriptorum, quos consulerent, ad manus erant.

Minoris etiam momenti videtur Consultissimi Lelièvre (1) animadversio, qui in eo etiam Dionysium et Livium dissentire dicit, quod hic legatos missos esse narrat Athenas et in alias *Graeciae* civitates, hic vero praeter Athenas etiam Graecas *Italiae* civitates commemorat; porro quod Livius legatos cum legibus *Atticis* rediisse scribit, dum Dionysius etiam addit leges *Italicarum* civitatum. Sc. praecipuus fons legum Decemviralium apud antiquos semper habebantur leges Atticae, unde mirum non est; Livium in C. 32, harum tantum mentionem fecisse. Illum non latuisse traditionem, qua aliarum etiam legum rationem habuisse dicebantur legati, vel illud luculentissime probat, quod eos etiam in *alias Graeciae* civitates se contulisse scripsit (C. 31.)

Universe autem Cons. Lelièvre non magni facit Livii hac in re auctoritatem. Omnes sc. res, quae ab illo narrantur, dicit esse historicas vel mythicas; prioribus omnem fidem esse habendam, posteriores vero tantum mythice esse accipiendas putat. Ad has etiam refert traditionem de legatis in Graeciam missis, nulla tamen addita causa, cur ita statuat. Haec tantum dicit: » Si quis legerit locum Livii, ubi agitur de legatis Athenas missis, certe viderit, eam rem mythice esse accipiendam (2). — Mihi secus videtur; nihil enim est aut apud Livium, aut apud alios scriptores, qui legationis mentionem faciunt, quod mythicum dicere queas. Imo contrarium prorsus indicare videntur eadem apud diversos scriptores legatorum nomina.

Ad calcem hujus § adjiciendum est, immerito Niebuhrium (3) accusasse Livium, quod historiam legis

(1) *d. Comm.* p. 42 *sq.* (2) V. d. l. p. 58. (3) Tom. II. p. 49.

Terentillae turbaverit, quasi prius dicat, illam legem tantum de Consulari potestate circumscribenda egisse, deinde vero eam semper sic commemoret, quasi eadem fuerit, quae Decemviris creandis causam praebuit. Livius id tantum indicat, primam legis Terentillae rogandae opportunitatem praebuisse nimiam Consulum in *juredicundo* maxime potestatem, et ob eam causam certum jus certasque leges rogasse Tribunos. Sic explicandum esse locum luculenter probant verba addita: » Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum, » nec ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege ha» bituros (1)." Quod autem apud Livium d. l. quinque viri memorentur, apud Dionysium vero (2) de decemviris mentio fiat, illud simplicissime explicari potest, si dicas legem Terentillam de quinque viris egisse, sequentis autem anni tribunos illam rogationem ad Decem extendisse.

§ 4. *De alto Graecorum historicorum silentio.*

Aliud contra veritatem traditionis de legatis Athenas missis petitur argumentnm ex Graecorum historicorum de ea re silentio. Ii sc., qui illi traditioni fidem non habent, sic ratiocinantur: si legatio Athenis fuit et leges ibi descripsit, scriptores Graeci ejus mentionem fecissent, nec altum de ea in monumentis Atticis foret silentium. At merito observavit Ciampi (3) 1°. illud argumentum esse negans (ut vulgo dicitur), quod stare non potest contra expressa Livii, Dionysii aliorumque testimonia, 2°. scriptores, quorum scripta ad nostram aetatem non pervenerint, forsitan legationis mentionem fecisse, et 3°. fieri posse, ut Athenienses non adeo attenderint, barbaros quosdam Hesperiae, qui

(1) V. Liv. L. III. C. 9. (2) L. X. C: 3. (5) V. *Thémis.* Tom. IV. p. 307.

leges describerent, in urbe adesse. Roma enim illo tempore, extra Italiam saltem, nondum ita innotuerat, ut peculiaris quaedam ejus haberetur ratio.

Posterius vel propterea probabile est, quia legati, nulla venia petita, leges Athenis describere potuerunt. Illo enim tempore Solonis axones de arce in forum jam transtulerat Ephialtes (1), qui Olymp. 80. 1. interfectus est (2). Legati autem demum media fere Olymp. 82 Athenas venerunt.

Lingua etiam Graeca multum difficultatis iis parere non potuisse videtur. Verisimile enim est, Romanos illo tempore non prorsus rudes fuisse illius linguae, quippe inter quos et Italo-Graecos jam pridem aliquod intercesserat commercium. Potuissent insuper aliquem ex Italo-Graecis sibi comitem assumere legati (3).

Ex silentio Graecorum igitur effici non posse videtur, legatos aut prorsus non fuisse Athenis, aut, si ibi fuerunt, leges ibi non descripsisse. Quare fides etiam haberi potest Livio et Dionysio, leges Graecas Romam *asportatas* esse tradentibus. Ab altera tamen parte de ea re dubitari possit, cum jam ab initio patricii illam legationem non adeo misisse videantur, ut leges peregrinas noscerent, sed potius, ut tribunorum plebis rogationem specioso praetextu differrent.

§ 5. *Quid de legibus Graecis in XII tabulas relatis e veterum testimoniis constet.*

Consentiunt universe antiqui scriptores in eo, ut leges XII Tabularum e Graecia et maxime Athenis repetant. Itaque religioni mihi ducerem eorum omnium

(1) V. Harpocration in ὁ κάτωθεν νόμος coll. Polluce L. VIII. C. 128. Add. Petit. in *praef. d. operis*, p. 15. (2) Vid. Diod. Sic. L. XI. C. 77. (3) Ita Ciampi. V. *Thémis*, d. l. p. 308. Cf. tamen infra § 6. h. C., in quo de Hermodoro agimus.

auctoritatem rejicere, nisi ipsae leges cogerent, nisi etiam illius fictionis causam in patriciorum fraudibus mihi deprehendere visus essem. Scilicet legati universe ideo missi dicebantur, ut Romani legumlatores deinde legibus, quas illi e Graecia afferrent, in suis legibus conficiendis uterentur. Ita igitur in Annalibus consignatum fuit, ita etiam procul dubio semper apud Romanos traditum est, unde mirum non est, deinceps, quotquot ad Romanam historiam conscribendam se conferrent, uno ore omnes illam traditionem confirmasse, praesertim cum similitudo quaedam Graecas inter et Romanas leges reperiretur. Hinc etiam factum est, ut saepius lex quaedam in XII tabulis, quae similis erat legi Solonis, ex hac petita diceretur; ut apud Ciceronem *de Legibus*, L. II. C. 23 et 25, et apud Gajum *in lege ult. D. finium regund.* (X. 1), et *in l. ult. D. de collegiis et corp.* (XLVII. 22.) Minus recte huc retulisse videtur Gothofredus Gellium, *Noct. Att.* L. XI. C. ult., ubi lex decemviralis de furtis confertur tantum cum lege Solonis. Nec etiam huc pertinet Paulus, *Rec. Sent.* L. I. Tit. 15. § 1. ubi Gothofredus sequitur lectionem Cujacianam: *lege Solonia*, quae minus probanda videtur (1).

§ 6. *De* Hermodoro *Ephesio.*

Narrat Plinius (2), Hermodoro Ephesio, legum, quas decemviri scribebant, interpreti publice dicatam fuisse Romae in Comitio statuam. Pomponius (3) eundem legum XII Tabularum ferendarum Decemviris auctorem exstitisse scribit. Strabo (4) de Hermodoro dicit: *δοκεῖ δὲ οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίους συγγράψαι.* Exstat etiam

(1) Vid. infra C. II. § 2. (2) *Hist. Nat.* L. XXXIV. C. 5. (3) In L. 2. § 4. D. *de Orig. Jur.* (4) L. XIV. p. 441, Ed. 1587.

epistola quaedam Heracliti ad Hermodorum, in qua legum ab hoc conditarum mentio fit (1). Cicero (2) Hermodorum commemorat, sed ne verbum quidem dicit de opera illius Xviris praestita. Livius, Dionysius aliique cum plane ignorant (3). In recentioribus plerique jam statuunt, Hermodorum Romae fuisse, et ibi etiam Decemviris opem quandam praestitisse (4).

Novae sententiae auctor exstitit Vir Cl. Gratama, qui peculiari oratione probare conatus est, Hermodorum verum legum XII tabularum, i. e. X priorum tabularum, auctorem fuisse, hisce maxime argumentis: 1°. quod rudes artis legum illo tempore fuerunt Romani, cum leges ipsae ita se habere videantur, ut non nisi ab hominibus juris peritissimis proficisci potuerint; 2°. quod summa aequalitate libertati omnium in legibus Decemviralibus prospectum est, cum tamen earum auctores perhibeantur Patricii, plebi infensissimi, et qui non nisi coacti plebis rogationi de legibus scribendis cesserunt. 3°. Inde, quod ei publice statua dicata fuit, patet, illum non tantummodo legum Graecarum interpretem fuisse (Plinius, d. l.); majora perfecerit necesse est; leges igitur ipsas composuit, suis ordinibus disposuit, suaque fecit auctoritate (5).

Liceat tamen mihi hac in re a viro summo dissentire. Nam quamvis verum est, nondum ad altiorem quendam huma-

(1) *Epp. Graecan.* p. 337. (2) *Tusc. Quaest.* L. V. C. 36. (3) Cf. Menagius ad Diog. Laërt. L. IX. C. 2. (4) Vid. Niebuhr, Tom. II. p. 110. Wachsmuth d. l. p. 369. Vir Cl. Warnkönig n. 13 ad Gibbon. d. l. p. 98. (5) V. Viri Cl. Gratama, *oratio de Hermodoro Ephesio vero XII Tabb. auctore*, in Ann. Acad. Groning. 1816-17. Praeceptoris sententiam secutus est A. W. Engelen, *in Spec. Jurid. inaug. selecta sistente de Decemviris eorumque legibus*, Gron. 1826 passim, inprimis p. 149 *sq.*, qui eam tamen novis argumentis non adstruxit.

nitatis et cultus gradum illo tempore pervenisse Romanos, ulterius tamen, quam par est, progredimur, si iis ita omnem cultus speciem abnuimus, ut praeter leges peregrinas illis etiam opus fuisse statuamus viro peregrino, qui ex illis legibus ipsis quasdam eligeret (1). Nos autem, qui illam traditionem de peregrinis in XII tabulas insertis legibus rejiciendam esse putamus, Capite III eas ex ipsis Romanorum moribus petitas esse probare conabimur, quo facto sponte sua totum corruit argumentum; nam tum omne jus, quod XII Tabulis continetur, nihil esse ostenditur, nisi mores antiqui scripto consignati, et licet novae quaedam leges additae fuerunt, earum origo repetenda erit e moribus populi Romani, ut sic ea statuerint Decemviri, quorum statuendorum necessitatem diuturua ipsos docuerat experientia.

Quod ad secundum argumentum attinet, verum est summam dominari in XII tabulis aequalitatem. Hinc vero non sequitur, Decemviros patricios eas non confecisse. Juris privati iniquitas, quo et ipsi obstricte erant, nullum iis poterat afferre commodum (2). In jure publico conscribendo eorum potestas quam maxime erat restricta (3). Patricios vero legum latores omnino agnoscas in eo, quod ratio scriptas leges executioni mandandi prorsus sit omissa (4). — Universe autem si Decemviri iniquas scribere leges voluissent, an tum tanquam summi in rep. magistratus, sine provocatione creati, aequas a peregrino, ab exule *inviti* etiam (5) accepissent?

Causa autem, cur duae posteriores tabulae iniquae sint, eadem est, cur etiam in caeteris posteriores De-

(1) *de Orat.* p. 12. Cf. Otto, d. *Praef.* p. 4 in fine. (2) Vid. Niebuhr, Tom. II. p. 109, et Infra C. III. § 3. (3) V. Infra d. l. (4) V. Infra ibidem. (5) Vid. *de Orat.* p. 11.

cemviri injuste sint versati, non vero quaerenda est in diverso legislatore (1).

Ut autem ad tertium argumentum progrediamur, confiteor mirum videri, statuam publice dicatam fuisse aut interpreti legum Graecarum, aut legum XII Tabularum ferendarum suasori; at propterea tamen non licet, refragante universa legum indole, Hermodorum XII tabularum dicere auctorem (2).

Ingeniosam de Hermodoro conjecturam nuper protulit Cons. Lelièvre (3). Non negat quidem virum quendam Graecum ejus nominis Decemviris affuisse, et hinc traditioni ansam dedisse, sed magis illud nomen *ominosum* Hermo-doron convenire putat in Hermam, seu Thaautum, *Deum*, quam in *hominem*. Cum autem ille Thaaut-Hermes Literarum et *Artis Scribendi* auctor fuerit, et apud Romanos de *Scribendis* legibus ageretur, quae res tunc temporis tanti habebatur, ut non sine numine fieri posse videretur, Hermodorum symbolum sapientiae legislatorum credit Cons. Lelièvre. » Cum hoc ejusmodi Hermodoro (sic pergit) quadrat *peregrinus* legum *auctor*, quasi inspirator; cum hoc Orientalis ejus patria et praesertim urbs, Asiae minoris commune emporium, Ephesus; ejusmodi Deo-homini statuam negare nequiverunt Romani etc."

Ingeniosissima certe illa est explicatio. Sunt tamen quaedam, quae eam minus probabilem reddant. — Plinius commemorat statuam Hermodoro *Ephesio*, *homini* igitur dicatam. Si autem Romani *Deo* statuam posuissent, an *humanam*, nullis peculiaribus insignibus distinctam, illi dedissent formam? Plura quidem occur-

(1) V. *d. Orat.* p. 12. (2) Add. quae dixit Vir Cl. Warnkönig d. l. (3) *d. Comm.* p. 43 *sq.* Attamen non adeo certam suam conjecturam putat, ut aliis liberam de Hermodoro opinionem relinquere nolit. *V. d. comm.* p. 85.

runt in historia veteri exempla hominum a posteris pro Diis habitorum, sed rarioris res est exempli, eum a posteris pro homine esse habitum, quem ab initio majores Deum esse praedicaverant. Denique unde nomen Graecum in antiquitate Romana? Si illud inde explicandum est, quod vir quidam Graecus ejus nominis (1) traditioni ansam dedit, tum certe tota conjectura, quae *Hermodori* maxime *nomine* nititur, omni veritatis specie caret.

Equidem cur ficta sit tota de Hermodoro apud veteres traditio, causam mihi nullam effingere possum, quod fieri tantum potuisset, si praeclaro et celeberrimo nomine gravisus esset Hermodorus, quem tamen, ut observat Niebuhr (2), ipsi Graeci maxime ex amici Heracliti dicto cognovisse videntur (3).

Praeterea illa statua, quae ei secundum Plinium Romae posita erat, non facile sinit, ut eum Decemviris adfuisse negemus. Maciejowski (4) quidem nihil certi ex illa statua effici posse contendit, cum idem Plinius etiam Pythagoram publice dicatam Romae habuisse statuam scribat (5), cum tamen vel e Livio constet (6), Pythagoram olim ne notum quidem fuisse Romanis, multo minus Numae praeceptorem fuisse. At vero Plinius Pythagorae, non tanquam Numae praeceptori, sed tanquam Sapientissimo Graecorum ex Delphico quodam oraculo statuam positam esse narrat, quod verum non esse, aliunde non constat.

Itaque donec obscura illa de Hermodoro quaestio

(1) Ita Lelièvre d. l. p. 43. (2) Tom. II. p. 110. (3) Ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑαυτῶν ὀνήϊςον ἐξέβαλον, φάντες: Ἡμέων μηδεὶς ὀνήϊςος ἔςω. Ἐι δὲ μὴ ἄλλη τὲ καὶ μετ᾽ ἄλλων. V. Strabo, Diog. Laert. Coll. Cic. *Tusc. quaest.* ll. ll. (4) *In opusc.* p. 112. (5) *Hist. Nat.* L. XXXIV. C. 6. (6) L. I. C. 18.

novis testimoniis inventis illustretur, assentiendum Viris Cl. Niebuhr, Wachsmuth et Warnkönig, et dicendum videtur, eum aliquomodo profuisse Decemviris. An forte comes adfuit legatis Athenas missis?

Epistola illa Heracliti ad Hermodorum supra laudata merito tum a Vicone (1), tum a Gibbono et Cl. Warnkönig (2) tum etiam a Bonamico (3) tanquam ficta rejicitur. Nihil fere continet, nisi somnia et praedictiones de legibus, quas nondum scripserat Hermodorus.

Caeterum non nimium tribuendum est, cum Vicone (4) et Bonamico (5), testimonio Dionis Cassii (6), qui verbum *auctoritas* Graece reddi non posse dicit, quasi inde pateat, Hermodorum leges Graecas non esse interpretatum. Sc. hoc inde effici non potest, quia illud *auctoritas* occurrit in legibus de *usucapione*, quam Graecae leges ignorant. Itaque fieri posset, ut Hermodorus alias Graecas leges interpretatus esset, nisi e collatione legum Graecarum et Romanarum constaret, Romanos legibus Graecis non esse usos.

(1) d. l. p. 158 in nota. (2) d. l. nota 13. (3) d. l. p. 48.
(4) d. l. p. 157 in nota. (5) l. c. (6) L. LV. C. 3.

Caput Secundum.

CONFERUNTUR LEGES XII TABULARUM CUM LEGIBUS GRAECIS.

§ 1. *De singularum tabularum dispositione.*

Quamvis e diverso decemviralium tabularum et Solonis axonum numero et ordine aliquod majoris momenti argumentum per se peti non posse videatur, nemo tamen, ut opinor, facile negabit, diversum illum numerum et ordinem alia graviora argumenta, quae pro nostra sententia pugnant, quam maxime confirmare; quapropter de ea re ante institutam ipsarum legum collationem paucis videamus.

Suis tabulis distinctae fuerunt Solonis leges (1), sed quot fuerint illi axones ignorare se profitetur PETITUS (2). Et revera quae ea de re occurrunt veterum testimonia minime sufficiunt, ut certum eorum numerum inde conficiamus. Hoc tamen constat, plures axones quam tabulas fuisse. Decemviri enim *decem* tabulas conscripserunt, dum *tertii decimi*, *sexti decimi* et *vigesimi primi* axonis Solonis apud auctores Graecos mentio fit (3).

(1) V. MEURSIUS, *Atticarum Lectionum*, L. I. C. 22. (2) d. l. in *praef.* p. 16. (3) V. loca PLUTARCHI et HARPOCRATIONIS apud PETIT. d. l. quae mox accuratius describemus.

Ordo etiam axonum et tabularum diversus fuit, et alia prorsus singuli axones, alia singulae tabulae continuisse videntur. In primo sc. Solonis axone habebatur lex de fructibus exportandis (1); in tabula prima Decemvirorum agebatur de in jus vocatione (2).

In axone XIII actum fuisse videtur de delictis, forte de iis, quorum poena erat ἀτιμία (3), quod tamen certum non est. Huic autem loco diutius non inhaerebimus, quia vel ipse numerus nos impedit, quominus aliquam cum Decemviralibus tabulis collationem instituamus.

Alius nobis superest Plutarchi locus (4), e quo constare videtur, in Axone XVI egisse Solonem de sacris, qui axon, si Harpocration vicesimum primum laudavit (5), ultimus non fuit. In ultima autem Tabula Decemviri de jure sacro egerunt (6).

Vel ex hisce *certis* veterum testimoniis constat, diversum fuisse axonum et tabularum numerum et ordinem. Subjiciendae jam quaedam conjecturae, quae, si recte se habent, illam sententiam confirmant.

Apud Pollucem (7) legimus Solonem per tres Deos jurare

(1) V. Plut. *in Solone* p. 91 E. „ τῶν δὲ γινομένων διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν, ἄλλα δ' ἐξάγειν ἐκώλυσε," κ. τ. λ. „ καὶ πρῶτος Ἄξων ἐςὶν ὁ τοῦτον περιέχων τὸν νόμον." (2) V. Gothofr. d. l. *in probat.* p. 78. initio; p. 154. initio, et p. 162. initio. Cf. Dirksen d. l. p. 112. (3) V. Plut. *in Solone* p. 88. E. „ ὁ δὲ τρισκαιδέκατος Ἄξων τοῦ Σόλωνος τὸν ὄγδοον ἔχει τὸν νόμον οὕτως αὐτοῖς ὀνόμασι γεγραμμένον: Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι. κ. τ. λ." (4) *In Solone*, p. 91 B. „ ὡς γὰρ ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ τῶν Ἀξόνων ὁρίζει τιμὰς τῶν ἐκκρίτων ἱερείων, εἰκὸς μὲν πολλαπλασίας εἶναι κ. τ. λ." (5) In ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες. (6) V. Cic. *de Leg.* L. II. C 25. Coll. Gothofr. in *Not. ad Tab.* X. p. 183. (7) L. VIII. C. 12.

jussisse: Τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι κελεύει Σόλων, Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστήριον. Idem docet Hesychius (1): τρεῖς θεοὶ παρὰ Σόλωνι ἐν τοῖς Ἄξοσι ὅρκῳ τέτακται ἔνιοι κατὰ τὸ Ὁμήρικον; in quem locum Petitus (2) illud: κατὰ τὸ Ὁμήρικον insertum putat ex antecedenti glossa, ubi eadem verba leguntur; et pro ἔνιοι restituit ἐν ιωι id est: in decimo Axone.

Si illâ conjecturâ confidere licet, in decimo Axone de Diis, per quos jurare licuit, cautum est. Verum an illud tantummodo jusjurandum significatur, quod coram judice praestandum est, an vero universe de jurejando loquitur legislator? Si prius verum est, in decimo axone actum est de argumento tabulae II Decemvirorum, si posterius, et decimus et sextus decimus axon jus sacrum continuit, unde pateret, non adeo certum ordinem in argumentis singulorum axonum secutum esse Solonem, dum omnino Decemviri systematico quodam ordine leges suas in tabulis disposuisse videntur (3).

Huc etiam pertinet conjectura Meursii *Att. Lect.* L. I. C. 22. Verba sc. Harpocrationis, in voce Σῖτος, haec sunt: Σῖτος καλεῖται ἡ διδομένη πρόσοδος εἰς τροφὴν ταῖς γυναιξὶν, ἢ τοῖς ὀρφανοῖς, ὡς ἐξ ἄλλων μαθεῖν ἐςὶ, καὶ ἐν τῷ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρώτου κατὰ τοῦ Ἄξονος; quae posteriora verba sic emendat Vir Cel. καὶ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρώτου, ἐν τῷ κάτω τοῦ ἄξονος; i. e. et ex primo Solonis axone, in inferiore ejus parte (4). Dixisset sic Solon in primo axone de fructuum exportatione (5), et de alimentis mulieribus et orphanis praestandis. Haec autem diversitas Petito non placuit, quapropter restituit (6): ὡς ἐκ ἄλλων μαθεῖν ἐςὶν, καὶ ἐν τῷ ἐκ τοῦ

(1) *In glossa ad Odyss.* A. v. 65. (2) p. 438 *sq.* (3) Cf. Dirksen d. l. p. 100 *sqq.* (4) Eodem modo etiam emendatur locus Suidae, ubi eadem, quae apud Harpocr., verba leguntur. (5) V. S. hoc ipso §. (6) d. l. p. 180.

Σόλωνος πρῶτον κά τοῦ Ἄξονος; quod vertit: »Discere illud est ex aliis, cum etiam ex Solonis primum *vicesimo primo* Axone;" in quo secundum Harpocr. in ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες, agebatur de liberis adoptivis, quod argumentum cum alimentis a filio matri praestandis affinitatem habere vult Petitus. Sic quidem tollitur difficultas, quae ex eleganti Meursii conjectura existit, sed ea verba restituuntur, quae procul dubio Harpocration non scripsit. Quid enim est illud: καὶ ἐν τῷ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρῶτον κά τοῦ Ἄξονος? Constructio una cum sensu turbata!

§ 2. *De iis legis Capitibus, quae cum legibus Atticis conveniunt.*

Accedimus jam ad argumentum longe gravissimum, unde universa quaestio pendere videtur, ad collationem sc. ipsarum Graecarum et Romanarum legum. Sequimur autem in ea instituenda ordinem XII Tabularum.

In prima decemvirorum tabula agitur de in jus vocatione, quae Romae fiebat ab ipso actore, qui reum etiam *rapere* in jus, si sponte sequi nollet, poterat (1). Apud Athenienses in jus vocatio fiebat per apparitorem, aut per ipsum actorem, praesentibus testibus; tum autem simul reo dies indicabatur, quo ad judicem venire debebat (2). Quod autem Petitus eodem modo etiam ac apud Romanos in jus vocationem Athenis factam fuisse scribit, hanc legem in XII tabulas transla-

(1) Haec in jus vocatio vulgo per manus injectionem fieri dicitur, quam appellationem nos etiam saepius usurpavimus, cum in ipsis Tabulis legatur *manum endo jacito*. Animadvertendum tamen *manus injectionem* proprie peculiarem esse legis actionem. V. Gajus IV. § 21 *sqq*. (2) V. Petitus d. l. p. 401. Meier et Schömann, *der Attische Proces*, Halle 1824. p. 575 *sqq*.

tam fuisse ratus (1), hoc verum non esse, et in jus vocationem per manus injectionem peculiaribus tantum in causis apud Athenienses in usu fuisse, ostendit Meier d. l. p. 580 (2).

Caeterum in jus vocatio per manus injectionem spirat vindictam privatam, cujus in omnium minus cultorum populorum legibus vestigia deprehendimus, ita ut mihi probabile fiat, jam ante Decemvirorum tempora hunc morem Romae obtinuisse. Alterutrum certe verum sit oportet, vel per manus injectionem, vel aliis illis apud Athenienses usurpatis modis Romae ante XII tabulas in jus vocabatur. Si posterius verum esset, non verisimile est, Decemviros, cum eundem morem Athenis obtinere viderent, alium apud Romanos prorsus ignotum, apud Athenienses etiam minus usitatum, Romae introduxisse.

Alia in Tabula I occurrit lex, quam e jure Graeco desumtam vult Petitus (3), sc. *Rem ubi pacunt orato* caet., qua cautum est, ut, si partes, dum in jus ibant, de lite transigerent, judicio non esset opus; quod si non transactum foret, tum magistratus esset adeundus, qui causam cognosceret caet. Sed quis Petito hac in re assentiri velit? Ut simplicissimam hanc et naturali rationi quam maxime convenientem legem scriberent Decemviri, minime profecto iis opus fuit legibus Atheniensium.

Lex etiam, *sol occasus suprema tempestas esto*, Graeca dicitur origine, et a Decemviris in XII Tabulas

(1) d. l. p. 403. (2) Cf. Platner, *der Process und die Klagen bey den Attikern*, Darmstadt 1824, Tom. I. p. 114 *sq.* Caeterum brevitatis causa deinceps citabimus Meiere et Platnere scripta. Ipsos fontes, ex quibus illi sua hauserunt, et qui apud ipsos citantur, non adscripsi, quia inanis mihi haec eruditionis ostentatio esse videbatur. (3) d. l. p. 428.

translata (1). Athenis sane etiam tale quid obtinuit (2). Sed nihilominus legem illam a Solone repetere minime opus est. Quid enim simplicius, quam ut magistratus nocte ingruente litem differat, praesertim ubi tribunalia non, ut apud nos in aedibus, sed sub dio habentur (3)?

Tab. II. *de Sacramento lex.* (DIRKSENI T. II. fr. 1.) E GAJO novimus, legis actionem *Sacramentum* in XII Tab. fuisse. Initio sc. litis ab actore et reo quaedam pecuniae summa in plerisque causis deponebatur. De rebus mille aeris plurisve quingentis assibus; de minoribus quinquaginta assibus sacramento contendebatur. Sed si de libertate hominis vel pretiosissimi controversia erat, L. tantum asses deponendi erant (4).

Simile quid etiam invenitur in legibus Atheniensium (Πρυτανεῖον illam pecuniam vocant Graeci); sed haec similitudo tantum in eo consistit, quod apud utrumque populum pecunia ab actore et reo initio litis deponebatur. Caetera sunt dissimilia. Nam apud Romanos, qui victus erat, summam sacramenti praestabat poenae nomine, qui judicio vicerat, suam pecuniam a sacro auferebat (5). Apud Atticos vero utriusque prytaneum ad aerarium semper redibat, sed qui causa ceciderat, victori, quam deposuerat, pecuniam restituebat (6). Apud Romanos sacramentum sacro cedebat (quod vel ipsum nomen indicat) (7); apud Atticos ex illa pecunia merces judicibus dabatur (8).

(1) V. PETITUS d. l. p. 425. (2) Vid. tamen *nota* 1 *ad* PETITUM d. l. (3) V. Tab. I. fr. 7. D. (fr. 8. G.) *Ni pacunt in* COMITIO *aut in* FORO *ante meridiem causam conscito.* (4) Vid. GAJUS, *Comm.* IV. § 14. (5) V. GAJUS, *Comm.* IV. § 13. Coll. VARRONE *de L. L.* L. IV. C. 36. (6) V. PETITUS p. 485. MEIER p. 603. Cf. KUSTERUS et SPANHEMIUS ad ARISTOPH. *Nubes* v. 1182. (7) V. FESTUS *in voce*, Coll. VARRONE l. c. (8) V. PETITUS, l. c. PLATNER T. I. p. 174 *sqq.*

Fragmentum II. h. T. agit de causis, propter quas judicia differantur. Etiam apud Athenienses, si quis propter sonticam causam abesse videretur, judicium differebatur (1). Haec lex tamen nos non morabitur, cum sciamus, eam petitam esse ex lege Numae (2). Sed tametsi illud: *Numa in secunda tabula* caet., apud Festum, v. *Reus*, minus recte se habere, et locum mendo laborare Dirkseno (3) concedamus, minime tamen opus est legem illam a peregrinae gentis legibus repetere, cum jam per se pateat, etsi nulla lex hac de re adsit, judicia esse differenda, si judex aut alteruter litigantium propter justam causam adesse non potest.

Quod in hac tabula occurrit fragmentum tertium etiam ex legibus Solonis desumtum putat Petitus (4), qui scilicet illud sic legit, *quoi testimonium defugerit, is tertiis diebus obvagulatum ito*; verum ibi non legendum esse *defugerit*, sed *defuerit*, post Gothofredum (5) docuit Dirksenus (6). Deinde agitur in d. fr. de testibus invocandis, minime vero de λειπομαρτυρίᾳ, quae ad delicta pertinet, et cujus poena igitur constituta est in Tabula VIII. fr. 22. D. (T. VII. fr. 11 G.), sed diversa plane a legis Atticae placito. Erat enim Athenis poena pecuniaria, et τιμητὸς, ut videtur (7), Romae vero infamia quaedam (8).

In Tabula III nihil est, quod ex Atticis legibus pe-

(1) V. Petitus p. 418. Meier. p. 695 *sqq.* Fiebat hoc per ὑπωμοσίαν; mittebat sc. vulgo reus, qui juraret, illum ob causam sonticam in jure adesse non posse. (2) Festus in v. *Reus*, Coll. Gothofr. d. l. p. 161 et 167. Noodt: *de jurisdict. et imp.* L. I. C. 6. Cujac. L. 3. *Obs.* C Ult. (3) d. l. p. 200. (4) d. l. p. 447. (5) In notis ad Tab. II. p. 163. (6) d. l. p. 210 *sqq.* (7) Vid. Petitus d. l. p. 447. Cf. Meier p. 185 ibique *nota* 49. δικὴ τιμητὸς fere respondet Romanae actioni *aestimatoriae.* (8) V. Gothofr. d. l. p. 122 in fine.

titum esse dicere queas, nec in Tab. IV. Ultimum quidem, quod in hac tabula occurrit, fragmentum (1) a Romulo esse repetendum, non temere censuit Bonamicus (2). Nos autem hîc ex industria de illa lege non agemus, cum leges Romanas et Atticas conferamus, in his autem nihil de ea re inveniatur, Bonamici etiam disputatio in eos concepta sit, qui aliquam hac in causa cum *Lacedaemoniorum* institutis similitudinem deprehendunt.

In Tabula V quaedam sunt, quae explicatione indigeant. Leges, quae in hac tabula occurrunt, de successionibus et tutelis, ab Atticis plane differre §° seq. ostendere conabimur. In eo tantum est aliqua similitudo, quod et secundum Romanas et secundum Atticas leges tutor etiam *testamento* dabatur (3). At ille mos jam diu ante XII Tab. Romae obtinuit, cum jam Ancus rex Tarquinium Priscum liberis suis testamento tutorem instituerit (4).

Ex inventis autem Gaji commentariis duo fragmenta Gothofredo nondum nota in hanc tabulam inseruit Dirksenus, alterum de Virginibus Vestalibus a tutela perpetua mulierum liberis (5), alterum de rebus mancipi mulieris, quae in tutela agnatorum legitima est, non usucapiendis, nisi ab ipsa tutore auctore traditae

(1) *Decemviri in decem mensibus gigni hominem non in undecimo scripserunt.* Vid. Gellius, *N. A.* L. 3. C. 16. (2) d. l. p. 75 *sqq.* (3) V. Petitus p. 591 et Meier p. 444 *sq.* (4) V. Livius, L. I. C. 34. (5) V. Gajus, *Comm.* I. § 145. In XII Tab. hoc fragmentum fuisse negat doct. Engelen, l.l. p. 162 *sqq.*, ex sententia sc. praeceptoris sui Viri Cl. Gratama (V. *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving*, T. III. p. 279 *sqq.* et p. 302 *sq.*), qui illud: *itaque etiam lege XII tabularum cautum est*, apud Gajum d. l. refert ad illud: *filia vero nihilominus in tutela permanet*, quasi parenthesi includens totum locum inde a *tantum* usque ad *voluerunt.*

sint (1). Utraque Romanorum sunt propria, si, quae continentur iis, ipsas per se sanctiones spectes, nam nihil nec de *Virginibus Vestalibus* a tutela liberis, nec de *rebus mancipi* nisi certo modo traditis *usucapiendis* e jure Attico desumtum esse potest. Sed scimus sic, tutelam etiam mulierum ex XII tab. Romae obtinuisse, sive expresse de ea aliquid caverint Decemviri, sive universe, cum de tutela legitima agnatorum dicerent, hanc etiam tutelae speciem complexi fuerint (2).

Et vero apud Graecos etiam in tutorum potestate erant mulieres (3). Attamen hanc tutelam ab ea, cui Romae suberant mulieres, diversam fuisse colligas ex Meursio, *Att. Lect.* L. III. C. 24, *nota* 1 *ad* Petitum p. 534. et ex Meiero p. 455 *sqq.*, etsi minus verum videtur, quod ex Isaeo efficit Meier (4), mulieres ante annum 30 e tutela exiisse. Repugnat hoc proposito foeminarum tutelae. Quare assentiendum Platnero (5), qui Isaei locum aliter et probabilius explicat. Equidem certe non video, quomodo filius ἐπὶ δίετες ἡβήσας i. e. 16, vel, ut verisimilius est, 20 annos natus matris mulieris ἐπικλήρου, (i. e. cui fratres non erant) tutelam suscipere potuisset, si mulieres jam diu ante tricesimum annum e tutela exierunt, quod tamen statuit idem Meier (6). Nec infirmatur nostrum argumentum, etsi Platnero (7) concedamus, filium tum demum matris tutorem factum esse, si ejus maritus jam esset mortuus. Nos autem hic discrimen illud inter institutum Graecum et Romanum latius non explicabimus, cum sciamus e Plutarcho in *Numa* C. 10, jam hunc regem Vestalibus virginibus tutelae immunitatem concessisse, certo indicio, jam tum caeteras mulieres in tutela fuisse.

(1) V. Gajus, *Comm.* II. § 47. (2) V. Dirksen, p. 305 *sq.* ibique *nota* 378. (3) V. Cic. *pro Flacco* C. 30. (4) p. 452. (5) T. II. p. 275. (6) p. 456. (7) T. II. p. 276.

Verba PLUTARCHI haec sunt: „τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν (Numa) ἱεραῖς παρθένοις, ὧν ἐςὶ καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ τἄλλα πράττειν ἄνευ προςάτου διαγούσας, ὥςπερ αἱ τρίπαιδες." Quod autem HEINECCIUS (1) ἀπέδωκεν in ἀπέδωκαν mutaverit, et pluralem numerum retulerit ad Romanos universe, quia illae τρίπαιδες, i. e. mulieres jus trium liberorum habentes, Numae tempore nondum notae fuerunt, in eo temere egit. PLUTARCHUS enim hoc voluit: ex Numae instituto Vestales virgines a tutela perpetua liberae fuerunt, ut τρίπαιδες suo tempore ex lege Julia et Papia Poppaea (2).

Occurrit etiam in hac tabula fragmentum de cura furiosorum et prodigorum. Prodigorum curam in Tabulas Decemvirorum ex moribus antiquis esse translatam novimus ex ULPIANO fr. 1 pr. D. *de curat. furios.* (27. 10). Nec vero furiosorum curationem temere quis ex jure Attico desumtam dicat. Apud Athenienses licebat filio patrem furoris atque dementiae accusare; tum autem curator ei non dabatur, sed eum vinciebant, et ab administratione bonorum removebant (3). Plane igitur diversa haec sunt ab instituto Romanorum, nec prae patria illa majestate Romae obtinere potuerunt (4). Caeterum licet expresso testimonio non constet, furiosos ante XII tabulas Romae curae subfuisse, verisimillimum tamen hoc est. Cura sc. prodigorum (quae jam ante XII tab. Romae adfuit) demum ex furiosorum cura exstitisse videtur, cum assimilarentur prodigi furiosis, tanquam eodem animi vitio laborantes.

Conferri etiam potest BONAMY (5) de fr. 8 D. (fr. 4. G.),

(1) *Ad. L. Jul. et Pap. Popp.* L. I. C. 2. p. 27. (2) Cf. *arg.* GAJI *Comm.* I. § 145. (3) V. PETITUS p. 245 *sq.*, coll. CIC. *de Senect.* C. 7. (4) Plura dabit BONAMY d. l. p. 90 *sqq.* (5) d. l. p. 94 *sqq.*

in quo agitur de patronorum successione in bona liberti intestati sine suo herede defuncti; cum vero in legibus Atticis nulla lex occurrat, quae de hac successione agat, ex industria nos hoc loco de ea non dicemus.

In fragmento 6 D. (fr. 8 G.) Tabulae VI cautum est, ut, si quis quem liberali causa manu assereret, possessio hujus hominis pendente lite ipsi adjudicaretur, etiamsi alius eum tanquam servum possederat. Idem jus etiam in Atticis legibus occurrit (1). Sed hoc ipsum certo indicio est, similitudinem legum minime idoneam causam praebere, cur alias ex aliis petitas esse statuamus. Nam quod ad nostrum fragmentum attinet, expresso Pomponii testimonio novimus, illud ex vetere jure in XII Tab. translatum fuisse (2).

Cum Dirkseno argumentum Tabulae septimae Gothofredi in octavam tabulam, octavae in septimam rejicimus (3).

Lex de finibus regundis, quae hac tabula occurrit secunda apud Dirksenum (T. VIII. 3. G.) prorsus est incerta. Cum tamen Gajus l. Ult. D. *fin. regund.* e libro 4 ad XII tabb. desumta tradiderit, eam *ad exemplum quodammodo* legis Solonis scriptam fuisse, omnes fere XII Tabularum instauratores ante Gothofredum ipsa Gaji verba harum tabularum legitima fuisse crediderunt, quos tamen in errore versari ostendit Gothofredus in *Probat. ad Tab.* VIII. p. 179 in f. Scimus igitur, non eandem fuisse legem atque eam, quam Solon scripsit, itaque aliquam tantum similitudinem inter Romanam et Atticam intercessisse, qua motus Gajus,

(1) V. Petitus d. l. p. 257 *sq.* Meier. p. 401 *sqq.* (2) V. l. 2. § 24. D. *de Orig. Jur.* (3) Vid. Dirksen d. l. p. 291 *sqq.*, p. 448 *sqq.*, collata Viri Cl. den Tex *operis* Dirkseni *censura* in *Bijdragen tot Regtsg. en Wetg.* T. I. p. 129 *sqq.*

cum traditio de Graeca XII tabularum origine Romae vigeret, illam ad hujus quodammodo normam scriptam fuisse affirmavit (1).

Fragmentum secundum Tabulae VIII. D. (VIII. 9. G.) talione eum puniri voluit, qui membrum alicujus rupisset, nisi cum laeso de ea re transegisset. Hanc legem ex illa Solonis, qua constituit, ut uterque oculus ei effoderetur, qui unoculum uno privaverat, desumtam esse vult PETITUS (2) et TERRASSONIUS (3). Mihi vero illa lex Solonis peculiare quid continere videtur; sc. ut is, qui tam crudelis exstitisset, ut illi, qui unum oculum jam amiserat, etiam alterum excuteret, utriusque oculi jactura puniretur. Solonem enim in causa membri rupti poenam talionis constituisse, equidem non putaverim, cum actione *αἰκίας* aestimatoria conveniri potuerit, qui laeserat, vel si occidendi animo vulneraverat *γραφῇ τραύματος ἐκ προνοίας*, de quibus §° *sq.* (4).

Praeterea illa lex de talione tam simplex est (licet difficillima sit ejus exsecutio), et minus cultorum populorum ingenio odeo convenit, ut, si in eorum institutis eam inveniamus, ex ipsis moribus potius, quam ex alterius populi legibus ejus originem repetere debeamus (5).

Actio de pauperie quadrupedis (T. VIII. 6. D., VII. 1. G.) fere universe e legibus Solonis desumta esse dicitur. Videamus, quid hac de re sentiendum sit.

Sanciverat Solon aliquid de pauperie quadrupedum (6),

(1) Cf. quae de hac GAJI lege universe diximus supra C. I. § 5. (2) d. l. p. 632. (3) d. l. p. 148. (4) Fuit etiam lex talionis in legibus Zaleuci, (ad Charondam refert DIOD. SIC. L. XII. C. 17.) quae, cum aliquando unoculo oculus excussus esset, ad modum legis Solonis est emendata. V. HEYNE, *Opuscula Academica* Tom. II. p. 38. Coll. p. 113. (5) Cf. *Exodus* C. XXI. v. 23 *sqq.* (6) V. PLUT. in *Solone* p. 91. Cf. PETITUS, p. 632. MEIER, p. 477.

et ex ejus lege canis, qni momorderat, catena quatuor cubitorum revinctus laeso erat tradendus. Si autem Decemviri legem suam a Solone accepissent, procul dubio etiam de cane dixissent. At canes lege Decemvirali non comprehensi fuisse videntur; quid enim sic opus fuisset peculiari lege *Pesuliana* de cane, quae idem, quod Decemviri de quadrupedibus, jam de cane sanciret (1)?

Praeterea ad hanc legem idem dicendum, quod ad praecedentem jam observavimus, sc. saepius apud diversos populos similem legem inveniri, nec tamen alteram ex altera necessario esse petitam. Sic etiam in Exodo C. XXI. v. 28 *sqq.*, ejusdem juris vestigia adsunt, unde tamen nec Solonem, nec Romanos sua hausisse quis affirmet.

Distinctio Decemvirorum in furtum manifestum et nec manifestum, poenae etiam singularum furti specierum prorsus Romanae sunt, et diversae omnino a Solonis institutis (2). Nonne igitur temere agunt ii, qui, quod fur nocturnus impune occidi poterat et secundum Solonem, et secundum Decemviros, hos istud placitum ab illo mutuatos esse statuunt (3)? praesertim cum ipsa furti nocturni poena diversa fuerit; nam fur nocturnus non occisus, sed in jus raptus, apud Romanos non morte, sed furti manifesti poena plectebatur, verberabatur sc. et in servitutem ei, cui furtum factum esset, addicebatur (4); quam poenam apud Athenienses nunquam patiebantur fures. Lex XII Tabularum nihil Atticae legi simile continet, nisi quod Decemviri aeque ac

(1) V. Paulus, *Rec. Sent.* L. I. Tit. XV. § 1. Cujacium autem pro *Pesulania* ibi *Solonia* corrigentem refutavit jam Schulting ad Paulum d. l. n. 8. (2) De quo latius § *sq.* (3) V. Tab. VIII, 12. D. Tab. II. 4. G. Coll. Petito, p. 635 *sq.* (4) Aut certe ei adjudicabatur, donec solveret. V. Gajus, *Comm.* III. § 189.

Solon justam sui defensionem permiserunt, quod sane vel sine hujus ope potuerunt (1).

Fragmentum 15 h. Tab. secundum D. (T. II. 9 G.) ita se habet: » Concepti et oblati (sc. furti) poena ex lege XII tabb. tripli est. — Praecepit (lex), ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lancem habens, qui si quid invenerit, jubet id lex furtum manifestum esse (2)."

Et majoris sane momenti sunt, quae vulgo de similitudine hujus furti quaerendi ritûs apud Romanos et Atticos circumferuntur; de qua re igitur accuratius jam est dispiciendum. Ut tamen bene illud procedat haec praemittenda videtur observatio. Putabant Romani, ut omnes fere minus culti populi, damnum, quod privatus ex alterius maleficio sentiret, etiam solum privatum spectare, nec satis attendebant, reip. quam maxime interesse, maleficia non committi. Hinc de furto pacisci licebat (3). Hinc in furtis etiam poena dupli vel tripli domino rei furto ablatae cedebat. *Publice* fur ne carcere quidem puniebatur (4). — Hisce igitur praemissis mirum non videbitur, dominum, si rem sibi furto ablatam in alterius cujusdam domo latere suspicaretur, magistratum non adiisse, ut publice mitteret, qui illam perscrutarentur, sed ipsum rem suam quaesitum domum illam intrasse. Sed, quia sic periculum erat, ne is, qui rem furtivam quaerere se dicebat, rem huic simillimam ex odio in aedium dominum ibi deponeret, vel etiam quaedam auferret; itaque hoc ne faceret, nudus incedere debebat. Haec igitur omnia optime explicari possunt ex ipso Romanorum ingenio et

(1) De furtis e jure Romano et Attico V. § *sq.* (2) E Gajo C. III. § 191 et 192. (3) V. Tab. II. fr. Ult. D., fr. 12 ejusdem Tab. G. (4) Majoris cultus vestigia hac in causa jam adsunt in jure Graeco, ut infra latius ostendemus.

cultu; sed aliud etiam accedit, cur equidem hoc institutum e Graecia a Decemviris non petitum fuisse existimem. Sc. Graeci *tunica* (χιτωνίσκῳ) induti furtum conquirebant. V. Aristoph. *Nubes* v. 497 ibique *Scholiast.* Plato *de Legibus*, L. 12. p. 954. A. Nec obstat, quod in *Nubibus* et apud *Schol.* dd. ll. occurrat γυμνὸς; illo enim vocabulo non semper *plane nudus* significatur, sed saepius ille, qui superiorem vestem deposuit (1). Romani sensu magis proprio *nudi* erant, licium tantum gerentes, et lancem ob oculos tenentes. Nec causam excogitare possum, cur Decemviri, si hunc ritum e Graecia Romam asportarunt, potius lance et licio uti voluerint Romanos, quam tunica; praesertim cum Romae mulieres libere in media domo versarentur, in Graecia contra in mulierum conclavi inclusae essent, et sic Romae multo gravior causa adesset tunicam induendi, quam apud Graecos. Nec sane hic ritus ex iis est, quem sibi prorsus ignotum populus aliquis facile ex alterius gentis legibus recipiat. Itaque verisimiliter jam ante XII tab. Romae adfuit. — Cf. de illo Heinecc. *Antt. Rom.* ad tit. Inst. I. L. IV. § 13-20. Nova quaedam de lance attulit Gajus C. III. § 193, sed haec ita sunt obscura, ut ipse ea non intellexerit, et nihil probant, nisi quod jam Gaji aetate de illo ritu quaerebatur.

Fragmentum 21 Tab. VIII. D. (VII fr. Ult. G.) sic se habet: Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto. — Apud Athenienses etiam Inquilini (μετοίκοι) sibi aliquem civem patronum (προςάτην) eligere tenebantur (2), inter quem et patronum Romanum quaedam videtur affuisse similitudo. Nos autem de ea re latius non agemus, cum e Dion. Hal. L. II. C. 10. constet,

(1) V. Graevius, *Lect. Hesiod.* ad v. 392 *Oper. et dier.*
(2) V. Petitus, p. 248 *sq.* coll. Dion. Hal. L. II. C. 9.

fragmentum legis Decemviralis, de quo agimus, e Romuli legibus esse desumtum.

Si poena homicidii mors fuit, ut vult Gothofr. (T. VII. 13), quam tamen incertam ac nobis ignotam putat Dirksenus (1), ex legibus Numae ea depromta fuit (2), quare legem Atticam, qua etiam vulgo homicidis capitalis poena irrogabatur, non latius explicabimus (3).

»Sciendum est, suspecti crimen e XII. Tabb. descendere," verba sunt Ulpiani l. 1. §2. D. *De suspect. tut.* (26. 10.) et Justiniani in pr. Inst. *eod.* Ex hisce testimoniis colligit Gothofredus jam jure XII. Tab. eandem fuisse suspecti tutoris accusationem, ac fuit jure Romano recentiore; itaque textum sic restituit: *si tutor dolo malo gerat, vituperato*, quod vertit, *suspectum eum facere cuivis liceto* (4). Equidem ita legem se habuisse, non effici puto e testimoniis, quae nobis de hoc fragmento supersunt. Indicat tantum Ulpianus et Justinianus jam XII tabulas de suspecti tutoris accusatione egisse; sed utrum ea popularis, ut vulgo dicitur, an vero privata fuerit, et concessa tantum proximis agnatis et cognatis pro certo definire non possumus. Itaque prudentius egit Dirksenus, qui Tab. VIII. fr. 20 sola Ulpiani l. c. verba refert. Verisimile tamen est publicam fuisse actionem, si prudenter, ut solent, statuerunt Decemviri. Ipse enim pupillus contra tutorem suum agere non poterat. Solis proximis agnatis vel cognatis hanc actionem dare periculosum erat, nam si hi non adessent, et illi ipsi tutores essent, aut si utrique non adessent (quod facillime fieri poterat praesertim in libertis et libertorum filiis), nullus erat, qui tutorem suspectum accu-

(1) T. VIII. fr. 24. coll. p. 614 *sqq.* (2) Festus v. *Parici.* (3) V. Petitus p. 610. (4) Illud: *dolo malo* petiit ex Cic. *de Off.* L. III. C. 15, Donato ad Terentii *Eunuch.* Act. III. sc. 3 v. 8 et Cic. *de Orat.* L. I. C. 37. Cf. Dirksen p. 599. *sqq.*

sare posset; mulieres enim, mater ex. gr. aut soror, jure XII tabularum ad hanc actionem admissae fuisse non videntur (1). Eatenus igitur tantummodo reprehendendus videtur GOTHOFREDUS, quod tanquam restitutor XII tabularum in *textum* admiserit ea, de quibus ex certis veterum testimoniis non constaret.

Post finitam tutelam a pupillo poterat institui actio in duplum, si tutor quid de rebus ipsius furatus esset (2).

Videamus jam de jure Attico, et conferamus id cum legibus Romanorum. Apud Athenienses etiam poterat institui actio publica ἐπιτροπῆς, sed poena non erat certa; erat actio aestimatoria et poterat agi vel ad poenam corpori infligendam, vel tantum ad poenam pecuniariam (3). Actio privata tutelae Romana nihil fere cum Attica commune habet. Romae poena erat certa, dupli sc., Athenis actio erat τιμητὸς; Romae erat perpetua (ut olim omnes actiones personales ante Constitutionem THEODOSII c. 1 C. Th. *de act. certo temp. fin.* (4. 14.) c. 3 C. Just. *de praescr.* 30 *vel* 40 *annor.* (7. 39); Athenis quinquennio praescribebatur (4). Qua ratione igitur illae XII. Tab. leges ex Atticis petitae dici possint non video.

Fragmentum ultimum Tab. VIII. D. (VIII. 2. G) non cum GOTHOFREDO ad solos fratres arvales referendum videtur, sed universe ad omnes socios (5), quibus permittit *Lex* quam velint pactionem sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Hanc legem e Solonis lege translatam videri dicit GAJUS, fr. ult. D. *de coll. et corp.* (47. 22.) Sc. cum similitudo quaedam reperiretur inter legem Romanam et Atticam, illam ex hac petitam dixit GAJUS (6). At vero ipsa rei ratio tam simplex est, ut non videam, quomo-

(1) V. *Arg.* § 3 I. *de susp. tut.* (1. 26). (2) V. l. 55. § 1 D. *de admin. et peric. tut.* (26. 7). (3) παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι· V. MEIER p. 293. (4) MEIER p. 454 coll. p. 185 n. 45. (5) V. DIRKSEN d. l. p. 451. (6) Sc. pro sui temporis opinione Vide supra C. I. § 5.

do aliter statuere potuerint Decemviri. Est enim utique rectae rationi consequens, sociis, quam velint, pactionem sibi ferre licere, modo ne adversetur legibus publicis.

Tab. IX. fr. 1 cautum est, ne leges privis hominibus irrogarentur (1); quam legem omnes fere interpretes e legibus Solonis translatam dicunt (2). Petitus autem (3) contra Cujacium (4) contendit, legi addendam esse exceptionem, *nisi maximo comitiatu* (5), cum sc. etiam apud Athenienses lex esset, *ne de privis hominibus leges ferrentur, nisi id placuisset sex civium millibus, clam suffragia ferentium.* Sed haec clausula omnino cum Cujacio, Gothofredo et Dirkseno tantum ad alteram apud Ciceronem (dd. ll.) memoratam legem, *ne de capite civis Romani, nisi per maximum comitiatum statueretur*, referenda videtur. Add. Pothier, d. l. § 3. Terrasson, p. 172, qui posterior, licet vehementissime se opposuerit sententiae Bonamici, leges Decemvirales a Graecis non esse petitas statuentis, hoc nostrum fragmentum tamen nihil continere docuit, cur e lege Attica illud desumtum esse dicamus. Utut est, scimus hanc legem vere Romanam esse. Duobus enim locis testatur Cicero (6), idem jam sacratis legibus cautum fuisse, quae ne abrogarentur a patriciis, qui leges soli conscriberent, sibi caverant plebeji (7).

Ad fragmentum 2. h. t. D. (fr. 4. G.), quod vetat de

(1) V. Cic. *pro domo* C. 17, *pro Sextio* C. 30, *de Leg.* L. III. C. 19. (2) V. Gothofr. d. l. p. 181 in fine. Pothier ad Tab. IX. fr. 1 § 1 n. 3. Petitus p. 189. (3) d. l. (4) *Obs.* L. XV. C. 8. (5) Ex Cic. *de Leg.* l. c. ob illa: *ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis, noluerunt*, non satis attendens ad ea, qnae sequuntur: *neque* TRIBUTA CAPITIS *comitia rata esse possunt, neque* ULLA PRIVILEGII. (6) *Pro domo* et *pro Sextio* ll. cc. (7) V. Livius L. III. C. 32. Cf. ad hanc legem Bonamy d. l. p. 85, qui tamen etiam illud, *nisi maximo comitiatu*, admittit, nec non Lelièvre d. l. p. 153 *sqq.*

capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, animadvertisse sufficiat, etiam hanc legem esse sacratam, secundum Cic. *pro Sextio* l. c.: »Cur cum de capite civis — et de bonis proscriptio ferretur, cum et sacratis legibus et XII. Tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite civis Romani, nisi comitiis centuriatis rogari, nulla vox est audita consulum?" (1)

Tab. X. fr. 1. D. (fr. 2. G.) cautum est, ne quis in urbe sepeliretur nec ureretur; quod primum ex Atheniensium more Romam translatum fuisse plures dixerunt (2), cum antea, ut narrat Servius ad illud Virgilii (3): *Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro,* omnes in domibus sepelirentur. Gravina tamen (4), et qui eum descripsit Terrasson (5), Sctum memorant, quo jam ante XII. Tabulas antiquus mos sublatus est, et cautum, ne quis in urbe sepeliretur, quod Sctum deinde Decemviri in suas tabulas transtulerunt. Cum vero fontes, e quibus sua hauserunt, non addant, nec etiam verisimile sit, Sctum illis temporibus vim illud vetandi habuisse, nobis ad aliud confugiendum est argumentum, quo probemus, jam ante XII. Tabulas morem hac nostra lege praeceptum Romae obtinuisse. Sc. ubi Cicero (6) legem, de qua agimus, commemoraverat, rogat eum Atticus: »Quid? qui post XII in urbe sepulti sunt clari viri?" respondet Cicero: »Credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri jure tenuerunt, aut eos caet." Si igitur Publicolae et Tuberto *virtutis causa* i. e. in praemium virtutis, ut in urbe sepelirentur, tributum fuit, argumento a contrario sumto probatur, in caeteris hoc prohibitum fuisse.

(1) Plura dabit Bonamy ad h. l. p. 60. *sqq.*. (2) V. ex. gr. Pothier ad h. l. (3) *Aen.* L. VI. v. 152. (4) *Orig.* p. 256 in. f. ed. Lips. 1737. (5) d. l. p. 184. (6) *De Legibus* L. II. C. 23.

Forte autem hanc legem ideo sanciverunt Decemviri, quia Romani, spreto antiquo more, defunctorum corpora non amplius sepeliebant aut cremabant, sed saepius inhumata projiciebant. Huic certe causae pestilentiae calamitatem, quae A. U. C. 301. Urbem vexavit, tribuit Dionysius (1).

Antequam ad sequentes hujus Tabulae leges progredimur, repetendum hic de Ciceronis testimoniis in L. *de Leg.* II. C. 23 et 25, quod jam saepius de Gajo diximus, affirmationem nempe, hanc vel illam legem esse legem Solonis in XII. Tab. translatam, nihil nisi similitudinem quandam harum legum probare, cum nitatur veterum opinione leges Decemvirales a Solone esse petitas.

Caeterum negari non potest, similitudinem quandam in sumtuariis legibus, praesertim tertia, quarta et sexta D. (6, 7, 9 et 10 G.) cum legibus Atticis adesse (2); quae, licet mira sit, nihil tamen probare videtur, nam omnia, quae ibi memorantur de mulierum lessu, de facie laceranda, de servili unctura et de circumpotatione caet., tolli a Decemviris non potuissent, nisi jam ante ipsorum tempora adfuissent (3). Ipsi igitur illi pravi mores et apud Athenienses adfuerunt, et apud Romanos; nec verisimile est, sapientes homines Decemviros, ut pravum morem tollerent, a severis illis Romanis forsitan jam antea reprobatum, aliorum exemplo indiguisse. Ipse Cicero, licet pro sui temporis opinione leges a Solone repetat, eas tamen maxime secundum naturam esse scriptas testatur (4). Accedit, quod et apud Lacedaemonios, et apud Charondam maxime affines leges funerariae sumtuariae inveniantur (5).

(1) L. X. C. 53. (2) V. Petitus p. 595 *sqq.*, inprimis p. 600 *sqq.* (3) Cf. Serv. ad *Aen.* L. XII. V. 606. Cic. *de Leg.* L. II. C. 24, ubi haec: *quae recte tolluntur, nec tollerentur, nisi fuissent.* (4) V. *de Leg.* L. II. C. 24. Coll. C. 25. initio. (5) Cf. Infr. h. C. §4.

§ 3. *De discrimine legum Romanarum et Atticarum.*

Cum superiore § de similitudine legum Decemviralium et Atheniensium ageremus, saepius jam earum discrimen attigimus. Plures enim explicandae erant leges Romanae, quas Atticis similes esse dixerunt interpretes, licet revera plane ab iis sint diversae. Quocirca hoc loco, quae de illo argumento restant, pertractaturi sumus; quo facto patebit, leges Decemvirales, uti in rebus levioribus conveniunt aliquando cum Atticis, ita ab illis fere discrepare in iis, quae alicujus sunt in legibus populorum ponderis, in jure sc. obligationum, successionum, tutelarum caet.

Et sic quidem primo loco dicendum est de ratione, qua Romani tractabant debitores, qui solvendo non essent. Morem nectendorem debitorum, qui antea Athenis obtinuerat, Solon plane sustulit (1). Romani vero eo more omnino usi sunt, et quidem, ut videtur, crudelissime (2).

»Patria potestas propria est civium Romanorum; fere enim nulli homines sunt, qui talem in filios suos habent potestatem, qualem nos habemus," ait Gajus C. I. § 55. Sic etiam patria potestas, qualis in XII. Tabulis describitur, longe major est eâ, quam Athenis parentes in liberos habebant. Romae ex. gr. quamdiu viveret pater, filius in ejus potestate erat, nec igitur unquam testamentum facere poterat; Athenis filii, cum inscriberentur τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, itaque aetatis anno 20, ut videtur, suas sibi res agere poterant, et testamenti faciendi jus habebant (3). Romae vendi

(1) V. Petitus p. 507; Meier, p. 511 *sq.* (2) V. Tab. III. fr. 1-6 D. (fr. 4-9 G.) (3) V. Petitus, p. 227. in fine *sqq.* praesertim p. 229 in fine *sqq.*, Coll. Meursio, *Att. Lect.* L. III. C. 24

poterant liberi justis nuptiis quaesiti; ex Solonis lege tantum poterat vendi soror aut filia, quae innupta rem cum viro habuerat, quasi in delicti poenam (1). Romae jus vitae necisque in liberos habebat paterfam., quod Athenis ex Solonis legibus jam negatum illi videtur (2). Graecorum ἀποκηρύξιν (abdicationem liberorum), et plura alia mittimus, cum ex allatis satis contet, quam diversum fuerit illud jus patriae potestatis apud Graecos et Romanos, et cum praeterea sciamus, leges, quae de eo jure in XII. Tabulis occurrunt, ex Romuli legibus esse desumtas (3).

Arctissime etiam cum patria illa majestate cohaeret fragmentum 3 Tab. V. (T. V. fr. 1 G.) quo plenissima conceditur patribusfam. de bonis suis testamento statuendi libertas. Attico civi ex lege Solonis non licebat bona sua aliis testamento dare superstitibus filiis legitimis (4).

Quod ad jus succedendi ab intestato attinet, alia plane placuerunt Graecis, alia Romanis. Romae patrifam. ab intestato succedebant liberi, sive heredes sui (ad quos etiam pertinet uxor, quae in manum convenerat, et sic filiae loco apud maritum erat); post suos heredes agnati, post agnatos gentiles ad hereditatem vocabantur; post gentiles nullus erat succedentium ordo. Cognati vero nunquam succedere ex jure civili ullo pacto potuerunt (5). Apud Athenienses post liberos vocabantur fratres ὁμοπάτορες defuncti, eorumque filii; post hos sorores ὁμο-

(1) V. Petitus p. 237. (2) Ut contra meursium, *Them. id Att.* L. 1. C. 2. contendunt Meier, p. 428 et Platner T. II. p. 242. (3) V. Dion. Hal. L. II. C. 26. *sq.* Addatur de patria potestate universe apud Atticos Meursius, *Them. Att.* L. I. C. 2. meier, p. 427 *sqq* Platner, T. II. p. 240 *sqq.* (4) V. Petitus, p. 578 *sqq.* (5) V. § 3 I. *de legit. agnat. success.* 3. 2, fr. 1. pr. D. *unde cognati* 38. 8.

πάτριαι, earumque filii (qui, ut vidimus, jure XII Tabularum nunquam succedere poterant), tum caeteri cognati paterni generis (ita tamen ut praeferrentur mares, iisque geniti) usque ad sobrinorum filios. Si hi deficerent, heredes erant materni generis cognati ad eundem gradum usque, et eodem ordine. Post hos paterni cognati propiores (1).

Ad tutelam apud Romanos, si tutor testamento patris non erat datus, vocabantur agnati proximi, pupilli, si intra pubertatem decederet, heredes futuri. Antiquiores juris Graeci scriptores ex Diogene Laërtio (2) universe heredes futuros ex Solonis lege expresse remotos fuisse crediderunt. Sed aliud, rejecta Diogenis Laërtii auctoritate, ex pluribus oratorum locis docuerunt Meier (3) et Platner (4), proximos nempe heredes omnino etiam tutores esse potuisse. Nescio tamen an haec, salva Diogenis Laërtii auctoritate, conciliari possint, dicendo, Solonem revera proximos heredes a tutela arcuisse; illud autem deinde immutatum fuisse. Sc. fons juris privati semper fuerunt Solonis axones; potuerunt tamen hic et illic quaedam esse mutata. Utut est, expresse certe Athenis non vocabantur ad tutelam proximi agnati ut Romae fiebat, nec etiam, ut Romae maxime ad bona admistranda dabantur tutores (5), sed tum ad personam, tum ad bona pupilli curanda (6).

Quod in Tab. VI. occurrit fragm. 1. de alienatione et oppignoratione rerum mancipi proprium omnino est Romanorum. Hujus enim juris in legibus Atticis ne minimum quidem deprehendimus vestigium. Pertinet

(1) Petitus, p. 584 *sqq.* (2) In *Solone* I. segm. 56. (3) p. 446 *sqq.* (4) T. 2. p. 278. (5) Vid. von Löhr, *über die Römischen Begriffe von Tutel und Curatel, im Magasin für Rechtswiss. und Gesetzgeb. von* Grolman *und* von Löhr. Band III. Heft. I. (6) V. Platner, T. II. p. 279. Meier, p. 449. n. 6.

sine dubio haec distinctio rerum mancipi et nec mancipi, et solemnis eas per aes et libram alienandi ritus ad illud jus, quo jam ante XII. Tabulas usi sunt Romani.

Usucapionis etiam tum universe rerum omnium, tum mulieris, de qua agitur in fr. 3 et 4 D. (5 et 6 G.) nulla mentio est in legibus Atticis (1). Proprius Romanorum est ille modus nuptias per *usum* contrahendi; nititur distinctione rerum mancipi et nec mancipi. Si quis enim rem mancipi a domino nuda traditione acceperat *in bonis* tantum eam habebat; ut autem etiam jus Quiritium in eam acquireret, per annum, si res mobilis, per biennium, si res immobilis erat, eam possidere debebat. Idem de uxore dicendum. Vir in uxorem, nudo consensu ductam, quasi in rem mobilem mancipi, demum ex anni usu non usurpato plenum jus civis Romani acquirebat (2).

Si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri, ad mortem usque fustibus caedebatur. Qua licentia contra apud Atticos Comici egerint, omnibus notum est (3). Sed in aliis etiam *injuriis verbalibus* (ut vulgo dicunt Juris Romani interpretes) majore tantum vel minore pecuniae summa pro majore vel minore illata injuria Athenis laedens plectebatur. Illa injuriarum actio dicebatur δικὴ κακηγορίας (4).

(1) Praescriptionem, tanquam modum tollendarum actionum, noverunt Athenienses. Sic actio privata ἐπιτροπῆς quinquennio praescribebatur.. V. §um praeced. Cf. Meier, p. 636. (2) Animadvertendum tamen, in XII. Tab. *fundi* tantum in lege de usucapione mentionem factam esse, quod deinceps ad caeteras res immobiles extensum videtur. (3) V. Cic. apud August. *de Civ. Dei.* In Ed. Maji *de Reipubl.* L. IV. C. 10. ibique notata. Illa licentia deinde legibus restricta est. V. Petit. p. 150 *sqq.* (4) V. Meier p. 481 *sqq.* Coll. Petito. p. 641 *sqq.*

Realis etiam injuriae (αἰκίας) poena non certa erat, ut apud Romanos e lege XII. Tab. (1), sed litem aestimabat actor. Idem igitur Athenis obtinebat, quod deinceps, abrogato jure XII. Tab., Romae Praetor introduxit (2).

Erat etiam publica γραφὴ ὕβρέως, quae latius patebat, et praeter injurias reales alia quaedam continebat, ut stuprum vi commissum caet. (3). Actio erat aestimatoria, et tendebat ad τὸ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, unde etiam morte puniri poterat laedens (4).

Γραφὴ τραύματος ἐκ προνοίας proprie ad injurias non pertinet. Competebat haec, si quis graviore vulnere aliquem vulneraverat *occidendi animo*. Poena erat exsilium et bonorum publicatio (5).

Furta in XII. tabulis distinguuntur in nocturna et diurna, manifesta et nec manifesta. Furem nocturnum impune occidere licebat, diurnum non licebat occidere, nisi se telo defendisset; fur manifestus liber homo verberabatur, et ei, cui furtum factum esset, addicebatur, aut certe adjudicabatur, donec solveret, servus verberibus caesus de saxo dejiciebatur; impuberes tantum verberabantur et noxiam resarciebant.

Distinctio furti nocturni et diurni, manifesti et nec manifesti secundum leges Atticas non adeo procedere videtur. Potius distinguendum est in furtum *gravius*, ex quo etiam actio publica contra furem institui poterat, et *levius*, ex quo fere sola privata furti actio competebat. *Gravius* furtum erat 1°. quod 50 drachmarum aestimationem excedebat, licet interdiu commissum esset. 2°. Furtum nocturnum. 3°. Si quis in Gymnasiis vel

(1) Tab. VIII. fr. 2, 3, 4. D. (VII. fr. 7, 9, 10. G.) (2) V. Petit. p. 628 *sq.* Meier, p. 547 *sqq.* Platner, T. II. p. 204. (3) V. Meier, p. 319 *sqq.* (4) V. Meier, p. 326. Platner, T. II. p. 205. (5) Meier, p. 314. Petit. p. 630.

minimam rem furatus esset, aut 4°. in balneis portubusque, quod 10 drachmarum summam excedebat. In his praesertim furtis, si fur in ipso facto deprehendebatur, Apagogen et Ephegesin instituebant Athenienses (1). Poena, quam infligebant, vulgo erat mors (2). *Levius* erat quodcunque furtum interdiu commissum, modo ne 50 drachmas excederet, nec in publicis illis locis, de quibus modo diximus, factum esset. Poena hujus furti erat *duplum*, si res ablata restitui posset; *decuplio*, si non posset, etiam adversus eos, quorum ope et consilio factum esset furtum. Poterant etiam fures, si coram Heliastis res agebatur, per 5 dies totidemque noctes in carcerem duci (3). Si haec privata furti actio aestimatoria dicitur, accipi id debet de re furto amissa, quam aestimabat actor, non vero de poena, nam haec erat certa (4).

» Primo XII. Tabulis sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret." Verba sunt TACITI (5), cujus historicam hac in re fidem rejecit NIEBUHR (6), talem legem in XII. tabulis nondum fuisse contendens. Sed merito TACITI auctoritatem, quae confirmari etiam videtur loco CATONIS *de R. R.* in proöemio, tuitus est DIRKSEN (7).

De sensu legis plures sunt sententiae. Alii unciario foenore designari volunt usuras, quibus per annum 12 mensium 100 dantur pro centum; alii, quibus 12 dantur pro centum (8).

HUGO d. l. illam unciam, i. e. duodecimam partem, ad ipsam pecuniam creditam referendam esse putat, ut sic vel sine temporis definitione, vel per mensem, duode-

(1) De quibus V. MEIER, p. 224 *sqq.* (2) V. PETIT. p. 635. (3) V. MEIER, p. 356 *sqq.* PETITUS, p. 634. (4) V. MEIER, p. 185. n. 46. (5) *Annal.* L. VI. C. 16. (6) T. II. p. 431. (7) d. l. p. 594. (8) V. NIEBUHR; T. II. p. 432. HUGO, *Hist. Jur.* ed. 8. p. 206.

cima pars crediti usurarum nomine solveretur. At vero sic nomine magis quam re definitus foret usurarum modus, aut 100 pro centum per annum 12 mensium solvenda erant. Itaque verisimilior videtur sententia Niebuhrii (1) qui duodecimam partem sortis per annum et quidem cyclicum 10 mensium solvendam fuisse existimat, igitur $8\frac{1}{3}$ pro centum, secundum annum vero 12 mensium 10 pro centum.

Utut est, apud Romanos certe definitus erat modus usurarum, apud Athenienses vero ex lege Solonis legitimae erant, quantascunque stipulatus esset creditor, usurae (2).

Qui falsum testimonium dixerat e lege XII. Tab. de Saxo Tarpejo dejiciebatur; apud Graecos poena erat pecuniaria ab actore aestimanda; accedebat saepe per judicis prostimesin ἀτιμία (3).

Judex, qui ob causam dicendam pecuniam accepisset, Romae capite puniebatur. Athenis γραφὴ δώρων erat τιμητὸς. Poena igitur hujus criminis legibus definita non erat (4). Latius autem patet illa γραφὴ δώρων quam fr. 3 in Tab. IX., cum praeter judices arbitrosque alias etiam publicas personas spectet (5).

Et haec sunt, quae in XII. Tabulis occurrunt diversa et contraria saepius legibus Graecis. Plura autem sunt in his, quae, licet de iis nihil expresse cautum in XII. Tabulis inveniamus, procul dubio tamen a jure Romano prorsus diversa fuerunt. Exempla sint mulieres ἐπίκληροι, i. c. quae fratrem non habent (6). Ejusmodi mulierem, si a patre testamento desponsata non

(1) T. II. p. 436 in f. *sqq.* (2) V. Petit. p. 498. Meier, p. 503 in f. *sqq.* (3) V. Meier, p. 380 *sqq.* (4) Meier, p. 351 *sqq.* Platner, T. II. p. 155 *sqq.* praesertim p. 163 in f. Cf. Petitus, p. 426 *sqq.* (5) V. script. laud. (6) V. Petitus, p. 535. Meier, p. 468.

esset, proximus cognatus sibi uxorem expetere poterat, quo casu simul ipsam hereditatem ἐπικλήρῳ relictam acquirebat (1). Si vero contra ἐπίκληρος illa pauperis erat (θῆσσα), proximus cognatus eam uxorem ducere cogebatur, nisi mallet ei dotem dare secundum suas facultates (2). Si mulier ἐπίκληρος alîus jam erat uxor, proximus cognatus eam vindicare poterat, quo casu priorem maritum relinquere, et in hujus matrimonium transire debebat (3). Ejusmodi foeminae cum proximis mariti cognatis concumbere licebat, si ipse maritus μὴ δυνατὸς ᾖ πλησιάζειν (4). Jus nuptiarum universe maxime diversum fuisse videtur. Formas enim matrimonii contrahendi per *confarreationem*, (quae a Romulo inventa (5), per XII. Tabulas abrogata non est, quia etiam diu post in usu erat) et per *usum* jus Graecum ignorasse videtur. Licebat sororem consanguineam in matrimonio habere (6) caet. — Ignota etiam est XII. Tabulis distinctio actionum in *aestimatorias* et *non aestimatorias*, quae late per universum jus Atticum dominatur (7).

In jure publico etiam, in constitutione reip. nihil cum Solone commune habuisse videntur Decemviri, cum antiquam procul dubio formam servaverint.

Praeterea jam ubique cultioris populi indicia occurrunt in legibus Solonis, dum XII. Tabularum leges sunt populi longe minus culti. Sic illud jam multo melius perspexerunt Graeci, quam Romani, delicta licet privata universam tamen remp. spectare. Hinc ex illis delictis

(1) V. Meier, p. 469. Platner, T. II. p. 253 *sqq.* Cf. Petitus, p. 539. (2) V. Petitus, p. 551 *sqq.* Meier, l. c. Platner, l. c. p. 252. *sq.* (3) Meier, p. 470. Platner, d. l. p. 259. Cf. Petitus, p. 541. (4) V. Petitus, p. 542. (5) V. Dion. Hal. L. II. C. 25. (6) V. Petitus, p. 537. (7) V. de illis Meier p. 171 *sqq.* Platner, T. I. p. 191.

praeter actionem privatam saepius etiam publica dabatur, ut ex. gr. in injuriis realibus, in quibus non tantum privata actio *αἰκίας* datur, sed etiam publica *ὕβρεως*. Ex furtis etiam datur actio publica et privata *κλοπῆς*. Hinc etiam multae ex delictis solvendae, non ut Romae, solis laesis cedebant; saepius partem laesus, partem resp. auferebat. Sic propter injuriam verbalem in publicis quibusdam locis illatam laedens quinque drachmis multabatur, quarum tres accipiebat laesus, duae ad aerarium redibant (1). — Quae ex actione *βιαίων*, strictiori tamen sensu accepta (2), ita ut fere respondeat Romanae actioni de vi bonorum raptorum, solvenda erat multa, pro altera parte dimidia laeso, pro altera reip. cedebat (3). Saepius etiam multae, quae solius erat actoris, per judicis prostimes in alia publica poena accedebat, ut in furtis levioribus poena carceris (4).

Huc etiam pertinet observatio, saepius jam a Solone ea sancita esse, quae deinde mutato jure XII. Tab. in jus Romanum sunt introducta. Sic actio *αἰκίας* aestimatoria erat, quam deinde etiam Praetor Romae ex Edicto dedit, abrogata poena XXV. assium, quam XII Tabulae constituerant (5).

Ex jure XII. Tab. patrifam. testamento unicuique bona sua dare legare licebat. Solon idem permisit, modo ne adessent liberi masculi (6). Sic etiam jure Romano recentiore obtinuit, ut liberos praeterire, aut pro lubitu exheredare non liceret (7).

(1) V. Petitus, p. 641. (2) V. Nota 1 ad Petitum, p. 633, et Meier, p. 545. Sc. *βιαίων* actio etiam contra eum dabatur, qui virginem aut puerum liberum stuprandi causa rapuerat. (3) V. Petitus, p. 633. Meier, p. 546. (4) De prostimemate V. Meier, p. 182 et 725. Platner, I. p. 202 *sq.*. (5) V. Gellius *N. A.* L. XX. C. 1. (6) V. Petitus p. 578. (7) V. pr. I. *de exhered. lib.* et pr. I. *de inoff. testam.*

Servi apud Romanos rerum loco erant; nulla habebant jura, et demum ab Augusti inde temporibus Romae quaedam iis concessa videntur, quae Athenis jam ex legibus Solonis habuerant (1).

Et haec sufficiant de discrimine legum Romanarum et Atticarum. Longe quidem abest, ut argumentum exhaustum sit, sed pro nostro instituto plura notare opus non videtur.

§ 4. *Observationes de legibus tum Doricarum tum aliarum Graecarum civitatum.*

Praecipuum Decemviralium legum fontem veteres omnes leges Solonis fuisse tradunt. Sunt tamen etiam, qui, ut supra C. 1. § 1. vidimus, ex Lycurgi et Graecarum in Italia civitatum institutis, quasdam leges desumtas fuisse tradant. Quare appendicis loco quaedam huic capiti de illorum scriptorum sententia subjicienda videntur.

De Lycurgi legibus breviter agere possumus; nam si totum illarum legum catalogum, qualis exhibetur a Nicolao Cragio, perlegimus, vix unam et alteram inveniemus, quae cum legibus XII. Tabularum conveniat. In funerariis vero legibus quaedam cavit Lycurgus de sumtu et luxu removendo, quae non dissimilia sunt iis, quae ea de re statuerunt Decemviri; certo argumento, illam similitudinem hac in causa legum Romanarum cum legibus Atticis minime justam nobis causam praebere, cur illas ex his petitas esse dicamus, cum videamus, etiam apud Lacedaemonios, populum caeteroquin severum et sobrium, et qui suas leges procul dubio ab Atheniensibus non accepit, in re funeraria legibus sumtuariis opus fuisse. Quare, cum simile quid etiam in legibus Charondae occurrat (2), statuere non

(1) V. Infra C. III. § 1. (2) V. Heyne, *Opusc. Acad.* Tom. II. p. 101.

dubitamus, minus cultorum, atque igitur superstitiosorum populorum esse proprium, ut modum in honoribus defunctis praestandis excedant, quod necessario sapiens legislator legibus coërcendum putabit, ut ita sua hac in causa nec a Lycurgo, nec a Solone acceperint Decemviri (1).

Legem etiam, qua agnatus proximus ad tutelam vocatur, procul dubio Decemviri a Lycurgo non acceperunt, quippe quae nititur Romanorum opinione, bona esse familiae, unde proximus heres pro pupillo ea administranda suscipiebat(2).

In decem autem mensibus gigni hominem, natura Decemviros, non Lycurgus docuerat (3).

In antiquiore reip. Romanae constitutione plura adesse, quae cum Lycurgi institutis conveniunt, veteres jam observaverunt(4). Nobis autem de origine XII Tabularum agentibus minus ad rem videbatur, accuratius illam similitudinem persequi, cum ad illa maxime instituta Romana pertineat, quae jam ante XII Tabulas Romae viguerunt (5).

Gibbon (6) et Niebuhr (7) a Graecis in Italia urbibus plurima mutuatos esse Decemviros putant, nam ait Gibbon, cum populis illis semper commercium aliquod Romanis intercessit, et sic verisimile est, legatos illos Romanos plures leges inde domum asportasse. — Haec

(1) V. Nic. Cragius, *de Rep. Laced.* L. III. C. 1. Tab. I. Inst. VIII., et IX, apud Gronovium, in *Thes. Graec. Ant.* T. V. p. 2596. *sq.* (2) V. von Löhr. d. l. Cf. otto, *d. praef.* p. 6. (3) V. Gellius *N. A.* L. III. C. 16. Coll. § 2 supra, et Bonamico, d. l. p. 75 *sqq.* (4) V. Polyb. L. VI. C. 43 *sqq.* Coll. Cic. *de rep.* L. II. C. 23, ibique Maii n. 4. (5) Late de ea similitudine agit cons. Lelièvre, d. l. p. 67-83, eamque explicat ex Etruscâ Romae origine. Etruscos autem ex eodem ac Dores (e quibus etiam fuerunt Spartani) stemmate, e populis nempe Asiae borealis, ortos esse dicit. (6) d. l. p. 5. (7) d. l. T. II. p. 68.

omnia vera esse possunt; et omnino verisimilius est, Romanos, si leges ab exteris populis sibi recipere voluissent, potius Graecas in Italia urbes, quam multo remotiores populos adituros fuisse. At legibus peregrinis Romanis opus non erat. Non novas, sed certas leges volebant Plebeji, non de iniquitate querebantur juris consuetudenarii, quo utebantur, sed de eo, quod illud ipsis prorsus ignotum erat. Quapropter eorum etiam sententiam rejicimus, qui motus in rep. Romana ortos non nisi legibus ab aliis populis petitis sedari potuisse existimant (1).

Si autem Zaleuci Locrorum legumlatoris leges, quae nostram aetatem tulerunt (2), cum Romanis legibus conferas, nihil fere invenias, quod Gibboni sententiam confirmet. Unam tantum ex Polybio (3) novimus legem, quae idem fere statuit ac lex Romana in Tab. VI. fr. 7 Goth., sc. ut pendente lite possessio rei sit ejus, qui illam possederat, cum in jus ea adduceretur. At hanc legem ex vetere jure in XII Tabulas translatam fuisse efficere possis e Pomponio (4). Scilicet ibi sermo est de lege, qua cautum, ut possessio ei addiceretur, qui liberali causa aliquem manu asserebat (quam e vetere jure desumserant Decemviri), quae lex exceptionem continebat a regula, possessionem pendente lite manere ejus, qui initio litis possederat. Si igitur exceptio ante XII Tabulis adfuit, necessario etiam regula adfuit (5).

Quod ad Charondam attinet, in hujus etiam legi-

(1) V. Otto, *d. praef.* p. 4 in f. (2) Bentlejus, *Resp. ad C. Boylium de epp. Phalaridis*, ed. Lennep. p. 185 *sqq.*, commentitias esse contendit, quas nobis Zaleuci legum nomine servaverunt Diod. Sic. et Stobaeus, contra quem post Warburton, *divine legation of Moses*, disputavit Heyne, *Opusc. Acad.* T. II, p. 62 *sqq.* (3) L. XII. C. 7. (4) V. fr. 2. § 24. D. *de O. I.* (5) Add. Otto d. l. p. 7.

legibus, quatenus ad nostram aetatem pervenerunt, vix aliquid occurrit, quod simile dici possit legibus Decemviralibus. Si qua enim inter tutelam legitimam agnatorum Romanam et Charondae de eodem argumento legem intercedit similitudo, institutum tamen illud ex hujus legibus procul dubio petitum non fuit, cum, ut supra vidimus (hoc ipso §), peculiari quadam Romanorum opinione niteretur. Praeterea licet maxime ad bona tuendâ Romae tutela legitima erat comparata, expresse tamen (ut a Charonda factum legimus) a *personae* pupilli tutela insidiarum metu non erat remotus tutor legitimus (1).

Nec in aliarum etiam Magnae Graeciae civitatum legibus aliquid occurrit, cur Decemviros sua inde petiisse dicas (2).

§ 5. *Conclusio hujus capitis.*

Duas praesertim observationes hîc attendi velim, 1°. fieri non posse, ut in omnibus, quae modo alicujus sunt ponderis, plane differant leges Romanae a Graecis, si illae ex his sunt petitae, cum similitudo tantum in levioribus quibusdam consistat, nunquam autem integrum caput e legibus Graecis desumtum dici possit. 2°. illam similitudinem vel propterea nullius ferme in hac quaestione dijudicanda momenti esse, quia saepius eas ipsas leges, quae Atticis sunt similes, ex jure antiquo Romano desumtas esse scimus. Huc pertinent tutela mulierum in Tab. V; lis vindiciarum in Tab. VI. fr. 6 D. (fr. 8 G.); leges sacratae in Tab. IX. fr. 1 et 2 (4 G.), et lex, qua vetatur, ne quis in urbe sepeliatur aut humetur, in Tab. X. fr. 1.

Paragraphum autem illum, qui de similitudine legum Romanarum et Atticarum agit, plures paginas implere,

(1) Cf. idem d. l. (2) De iis egit Heyne *Opusc. Acad.* T. II.

non inde existit, quia tam late dominatur illa similitudo, sed quia interpretes per plura saecula semper studuerunt eam reperire, etiam ubi nulla aderat; quorum errores continuo erant notandi. Vide, quae diximus, de in jus vocatione (Tab. I. fr. 1); de testium denunciatione (Tab. II. fr. 3); de cura furiosorum (Tab. V. fr. 7 D. fr. 8 G.); de finibus regundis (Tab. VII. 2 D. VIII. 3 G.); de talione (Tab. VIII. 2 D. VII. 9 G.)

Quae autem hic et illic inter Romanas et Graecas leges affinitas reperitur, maximam partem, inde exstitisse videtur, quod non facile aliter statuere potuerunt Decemviri. Leges enim naturaliter in quibusdam rebus apud omnes populos idem statuere debent. Exempla sint lex: *Rem ubi pacunt, orato* (T. I. fr. 6 D. fr. 7 G.); lex: *Sol occasus suprema tempestas esto* (T. I. fr. 9 D. 10 G.); lex, qua differebatur judicium, si propter justam causam judex, arbiterve, reusve adesse non poterat (Tab. II. fr. 2). Huc etiam referri potest lex le fure nocturno impune occidendo (T. VIII. fr. 12 D. II. 4 G.) et de libera potestate sociis concessa, quam velint sibi pactionem ferendi, modo ne adversetur legibus publicis (T. VIII. fr. 27 D. fr. 2. G.).

Quaedam praeterea hac in causa tribui possunt commercio Romanorum cum Graecis in Italia coloniis (1); ne quid dicamus de conjunctione Romanorum cum Sabinis sub Romulo, aut de Numa Sabino, cum plerique recentiores Sabinos Lacedaemoniorum colonos fuisse negent (2). Nolim etiam cum Bonamico nimium tribuere

(1) Jam Coriolani tempore, annonae caritate Romam vexante, magna vis frumenti ex Sicilia advecta est. V. Livius, L. II. C. 34. In Campania quoque coëmtum erat frumentum, quod tamen Romam ervehi non potuit. V. Livius, l. c. Cf. L. II. C. 52 et Gibbon, . l. p. 5 et n. 14 et 15. (2) V. Nieb. T. I. p. 55 *sqq.* In ed. . Tom. I. p. 89. *sqq.* Wachsmuth d. l. p. 67. *sqq.* Rem dijudi-

Graecae urbis origini, cum res sit controversa. Animadvertendum tamen, Terrassonii argumentum, quod adfert (1), ut probet, mores Graecos, etsi Graeca fuerit Romae origio, nullam in indigenarum Italorum, et igitur deinde in Romanorum instituta vim habere potuisse, illud argumentum, inquam, esse nihili. Sc. verum quidem est, advenas non prorsus mutare mores et universe indolem indigenarum; attamen indigenae plura recipiunt ab advenis, ita ut eorum mores secum invicem confundantur; pars autem minus culta semper plura a cultiore recipiet, et sic etiam Graeci advenae necessario efficaciam satis magnam habere debuissent in indigenas Italos.

care nolumus. (1) d. l. p. 79. *sqq.*

Caput Tertium.

EXPLICANTUR LEGES XII TABULARUM EX POPULI ROMANI INGENIO ET MORIBUS.

§ 1. *De ingenio et moribus Romanorum, eorumque vestigiis, in lege Decemvirali.*

Si Romanorum historiam legimus, studia quaedam deprehendere licet, quae inde ab urbis incunabulis eorum propria fuisse dici possunt. Sic inerat Romanis 1°. *acerrimus justi sensus.*

Fidei templum exstruxit Numa (1). Fidem datam Romani summa cum religione servaverunt, longeque hac in causa Graecis praestiterunt (2).

Et adsunt omnino in XII Tabulis, e quibus praeclare illud Romanorum ingenium emicat. Insigne est innocentiae et probitatis veterum Romanorum argumentum, quod tutelam expresse iis detulerint, qui mortui pupilli heredes essent futuri. Minus se confidere posse civium suorum integritate putavit Charondas, qui bonorum curam agnatis, personae pupilli tutelam cognatis detulit. — Hinc etiam explicandae poenae multo graviores, quam apud Graecos, deserti et falsi testimo-

(1) V. Dion. Hal. L. II. C. 75. (2) V. Polyb. L. VI. C. 56. Livius, L. III. C. 20. Cic. *pro Flacco* C. 4, *Tusc. quaest.* L. 1. C. 1. Add. Cons. A. Z. Hanlo in disp. *de obligatione nominum*, quam in Athenaeo Amstel. publice tuitus est d. V. Dec. a. CIƆIƆCCCXXV. p. 2. 16.

nii, poena capitalis in judicem constituta, qui ob rem judicandam pecuniam acceperat. Hinc sacer erat patronus, qui clienti fraudem fecerat.

2°. *Summum dominandi studium*, tum in rep., tum in exteros in omnibus Romanorum rebus gestis pellucet Sic lites Patricios inter et plebejos inde maxime exstiterunt, quod uterque ordo ad summum imperium tenderet, nec alter alteri cedere vellet. Hinc etiam factum est, ut continuis cum exteris populis bellis occupati fuerint Romani. Pluribus hoc probare opus non est. Conferendus tamen VIRGILIUS (1), qui illud dominandi studium Romanorum versibus hisce quasi consecravit:

Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem; vivos ducent de marmore voltus;
Orabunt causas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.

Hujus studii vestigia complura in XII Tabulis adsunt. Paterfam., tanquam summus imperans, in domo sua de vita et nece liberorum statuebat; poterat eos vendere, imo trina venditione opus erat, antequam filius plene liber a patre fieret. Nullis limitibus circumscripta erat domini in servos potestas. Licet enim expressae de hoc jure leges in nostris XII Tabulis non adsint, negari tamen nequit, hoc olim ita se habuisse, cum sero, et, ut videtur, sub primis demum Imperatoribus quaedam servis concessa fuerint, quibus se adversus nimiam dominorum severitatem tuerentur (2). Caeterum, uti omnia juris capita, quae hoc loco memoravimus, plane differunt a legibus Atticis, sic etiam do-

(1) *Aen.* L. VIII. v. 848. (2) V. HEIN. *Ant. Rom.* ad *Inst.* L. I. T. 8. § 2 *sqq.*

minorum in servos potestas jure Attico multo arctioribus erat circumscripta limitibus, quam jure Romano antiquo (1).

Ipsa etiam verba saepius bellicosum Romanorum ingenium declarant, ut in Tabula III. *Triginta dies justi sunto* (2); et in lite vindiciarum: *si qui in jure manum conserunt;* dictio manifeste translata a re militari. In Jure Romano recentiore hinc explicanda privilegia militibus concessa.

Cum bellicoso Romanorum ingenio plures cognatae erant tum virtutes tum vitia. In illis praesertim memorandum libertatis studium, in his contemtus jurium aliorum populorum. Romani enim, qui continue aliis populis bellum inferebant, et ab aliis bello petebantur, jure victoriae res hostium occupaverunt, sanctitatem dominii nihil curantes. Hinc hasta praeponebatur in centumviralibus judiciis, in signum justi dominii. Romani enim maxime sua esse credebant, quae ex hostibus cepissent (3). Hinc Justiniani etiam temporibus res hostiles rebus nullius annumerabantur, et occupanti cedebant (4).

Favoris libertatis vestigium adest in lege, qua cautum, ut vindicia secundum libertatem darentur. (T. VI. fr. 6 D. fr. 8 G.) Imo, missis aliis, propterea tantum, quod hanc legem violaverat, accusat Virginius Appium Claudium Decemvirum apud Livium, L. III. C. 56. — Hinc etiam explicandum, cur in sacramento, licet de pretiosissimo homine ageretur tantum L asses deponendi essent (5). Forsitan huc etiam pertineat lex, qua ser-

(1) V. Meier, p. 403 *sqq.* Coll. Petito, p. 258 *sqq.* (2) V. Cujac. *Obs.* L. III. C. 39; Marcilius, *ad leges XII Tab.* C. 18. (T. IV. *Thesauri* Ottonis.) (3) V. Gajus, C. IV. § 16. (4) V. Argum. § 17. I. *de Rer. divis.* fr. 5. § 7, fr. 51. § 1. D. *de acq. rer. dom.* (41. 1). Cf. Gajus, C. II. § 69. (5) V. Gajus, C. IV. § 14.

vus, ea conditione manumissus, si pecuniae quandam summam heredi dederit, liber fieri jubetur, si ab herede abalienatus, novo domino pecuniam illam solvisset (Tab. VII. fr. 12. D. VI. 3. G.).

Crudelem Romanorum in debitores acerbitatem, quae tot in Urbe turbis locum dedit, quis non statim agnoscat in legibus de jure creditorum agentibus, quae Tab. III. continentur? Exinde explicanda haec crudelitas, quod Romani erant homines parci (1).

Graves etiam viri fuerunt Romani, cujus rei unum tantum argumentum afferam, usum sc. vocis *levis*, quae olim idem significabat, quod recentiore sermone *vilis* (2). Luculentum illius gravitatis indicium est in T. VIII. fr. 1. D. (VII. 8 G.), secundum quam legem morte punitur, qui in alterum publice invectus esset. Rejicimus igitur eorum sententiam, qui hac lege aristocratiae, quae Romae obtinebat, indicium contineri putant, cum in Democratia famosos libellos conscribendi licentia nullis legibus restricta esse soleat, quia populus illa licentia delectatur (3). Ut haec sententia stare possit, probandum foret, Romanum etiam populum vel potius plebem illi licentiae favisse; quod equidem non credam propter grave et serium Romanorum ingenium (4).

(1) V. Polyb. L. XXXII. C. 12. Cic. *de off.* L. II. C. 15, ubi illud Romanorum proverbium: *Largitio fundum non habet.* Cf. idem *Epp. ad Fam.* L. VII. Ep. 16 et Horatius, *Art. Poët.* v. 313 *sqq.:* » Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui, praeter laudem nullius avaris. Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere caet." (2) V. Gellium, *N. A.* L. VII. C. 11. et caetera argumenta apud V. Cl. Holtium, *de Jur., auct. et dign. Ictorum*, Amstel. 1822, p. 25 *sqq.* (3) V. *Encyclop. Method.* in *douze tables.* (4) Cf. ad. h. § Hugo, *Röm. Rechtsgeschichte*, ed. 8. p. 45. *sqq.* Nieb. *Röm. Geschichte*, Ed. I. Tom. 1. p. 10-13. Warnkönig, *Inst. Jur. Rom.*

§ 2. *De vitae ratione et cultu Romanorum e XII Tabulis cognoscendis.*

Vitae ratio minus cultorum populorum tribus fere gradibus distingui solet. Initio sunt venatores, deïnde pastoritiam vitam agunt, et denique ad agriculturam accedunt. Venatores unquam fuisse Romanos non novimus. Pastoritiae vero vitae quaedam adsunt vestigia, ut vocabula *peculium* (quod tamen in XII Tabulis non occurrit), *pecunia* (T. V. fr. 3 D. V. 19. G.), et actio de pauperie quadrupedum (T. VIII. fr. 6 D. VII. 5 G.). Tempore autem Duodecim Tabularum jam diu ad agriculturam accesserant Romani, cujus rei complura vestigia in ipsis Tabulis adsunt. Hinc factum est, ut peculiari loco ageretur de arboribus caesis (1). Hinc tot leges (in Tabula VIII D. T. VII G.) de delictis, quae agriculturam spectant, et tam severae in illa statutae poenae. Hinc denique (in Tab. VII D. T. VIII G.) satis accurate jam constituta jura praediorem rusticorum, cum de servitutibus praediorum urbanorum nulla in XII Tab. accurrat mentio, si unum fortasse excipias fr. 1 d. Tab., quo definitur spatium inter vicinas aedes relinquendum, nisi ne hoc quidem ad *Servitutes* pertineat.

Prorsus incultos fuisse Romanos XII Tabularum tempore sine dubio verum non est. Quominus hoc statuamus, vetant plura regum Romanorum sapientissima instituta, in quibus praesertim memoranda Servii Tullii comitia centuriata et census; vetant cloacae a Tarquinio Prisco ductae, et fundamenta templi Jovis in Capitolio ab eodem jam jactae, quibus deinde ipsum templum inaedificavit Tarquinius Superbus; vetant etiam ipsae sapientissimae leges XII Tabularum. Posteriori tamen

priv. Introd. § 38 *sqq.* et omnino Holtius d. l. (1) V. Plinius H. N. L. XVII. C. 1.

argumento nimium non est tribuendum; illae enim leges nihil fere continent, nisi mores antiquos scripto a Decemviris consignatos. Contra vero non nimis magnifice de Romanis hujus aetatis statuendum; quominus dotes sibi insitas excolerent, prohibuit bellicosum eorum ingenium, quod eos diu a philosophiae studio arcuit, cui bellis continuis occupati operam dare non potuerunt. Idem omnino de aetate, de qua jam agimus, verum est. Vel sola bella a Tarquiniis in Romanos excitata, hos magnopere vexaverint necesse est, missa quaestione, an revera penitus a Porsenna devicti fuerint (1).

Itaque in mera barbarie illo tempore non versati esse videntur Romani. Attamen longe abest, ut ad altiorem quendam cultus gradum pervenerint; cujus rei per totas XII Tab. vestigia deprehendere licet. Hinc, ut exempla afferamus, in jus vocatio per vim facta; jus creditorum in debitores, qui solvendo non sunt; frugum *excantatio* et mali carminis *incantatio* (si ita dicere licet) (2); poena furis manifesti multo gravior, quam furis nec manifesti, cujus rei causa non adeo in furis manifesti majore audacia posita videtur, sed in majore furis nec manifesti dexteritate, cui honorem quendam tribuere solent populi minus culti; mirum in eum, qui parentem necasset, supplicium (3), ut alia

(1) Quod post Beaufortium aliosque summa cum veritatis specie contendunt Niebuhr, Tom. I. p. 351. *sq.* (Ed. 2. T. I. p. 570. *sqq.*) et Wachsmuth, p. 256. ob Tacitum maxime *Hist.* L. III. C. 72. » Sedem Jovis O. M. — quam non Porsenna *dedita urbe*, ne» que Galli capta, temerare potuissent" et Plinium *H. N.* L. XXXIV. C. 39. » In foedere, quod expulsis regibus populo Romano dedit » Porsenna, nominatim comprehensum invenimus, *ne ferro nisi in* » *agriculturam uterentur.*" (2) Utraque vetabat magicorum carminum usum. (3) Tab. VII. fr. 16. G.; quod fr. immerito rejecit Dirksen, d. l. p. 453 *sqq.* V. Viri Cl. den Tex, *censura* d. l. p. 116. *sqq.* Poena culei in parricidas constituta plane erat Romana,

complura mittamus, quae singulatim enumerare longius foret, cum totae XII Tabulae illam Romanorum conditionem indicent.

§ 3. *De reip. conditione, ejusque in XII Tabulas efficacia.*

Egregium est Livii de conditione Romanorum post ejectos reges judicium: »Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit e regia potestate, numeres. Omnia jura, omnia insignia primi Consules tenuerunt (1)." Hi Consules, cum e patriciis crearentur, non libera resp., sed aristocratica potius regiminis forma Romae obtinebat, quam deinde Valerii Publicolae leges et maxime Tribunorum plebis institutio jam paullo temperaverunt. Sed nihilominus summa rerum erat penes patricios. Ex iis solis etiamnunc Consules creabantur; patricii soli in urbe jus et sciebant et dicebant, unde judicia ab eorum libidine pendebant, ita ut illis temporibus, quae partium studiis plena erant, periculosum esset plebejo homini vel in jusstissima causa cum patricio in jure congredi. Huic incommodo ut occurreret, legem suam de certis et publice notis, itaque non de novis legibus scribendis promulgavit Terentillus. Sic explicanda apud Dion. L. X. C. 1., ἰσονομία; L. X. C. 55. ὑπὲρ τῶν ἴσων; Apud Liv. L. III. C. 34. *se — summis infimisque jura aequasse*, et C. 56 *aequandarum legum causa*, quibus tantum significatur, omnibus sine personarum respectu jus suum tributum iri (2). Licet autem per se verum sit, magis ad *scribendas* antiquas

jam a Tarquinio Sup. usurpata. (Dion. H. L. IV. C. 62.) Solon nullam poenam statuerat. V. Cic. pro *Roscio Am.* C. 25. (1) V. Liv. L. II. C. 1. Cf. Cic. *de Rep.* L. II. C. 32. (2) Cf. Hugo, *Hist. Jur.* Ed. 8. p. 66. n. 2.

leges, quam ad ferendas novas creatos esse Decemviros, vereor tamen ut id efficiatur ex illo: »Quinqueviri legibus *scribendis*," apud LIVIUM, L. III. C. 9.; »legum *scribendarum*," Ibidem, C. 32.; »Decemviri, qui leges *scriberent*," apud CICERONEM *de Republ.* L. II. C. 36., ut contendit Cons. LELIÈVRE d. Comm. p. 125, qui verbis nimis inhaerere videatur. Nam praeterquam, quod LIVIUS saepius de Decemviris tanquam de legislatoribus dicat (V. L. III. C. 31. »legum latores," et C. 33. »ad condenda nova jura."), ipse etiam latini sermonis usus illi explicationi non favet. V. CIC. *pro Roscio Amer.* C. 25., de Solone:" quí leges, quibus hodie quoque utuntur (Athenae), *scripserit*." Legem Terentillam autem non nisi coacti probaverunt Patricii (1). Hinc etiam pellucet in universa hac historia Patriciorum consilium, rem ad suam voluntatem peragendi (2); unde factum est, ut hi soli leges conscripserint.

Inquirendum jam, quam vim necessario in leges XII Tabularum habere debuerit, quod Patricii infensi plebejis, et inviti iis leges dantes, soli has leges conscripserint. Juris *privati* confectio sine ullo alterius ordinis damno tuto alteri mandari potuit. Neutri hujus juris iniquitas proderat, cum aequaliter uterque eo obstrictus esset (3). Itaque universe in jure privato indicia infensi patrum in plebem animi adesse non possunt, nisi quatenus peculiaris quaedam patriciorum et plebejorum adfuit ejusmodi conditio, ut sè clam et tacentes beneficiis quibusdam adficere potuerint patricii. Sic, ut exemplum addam, ditiores in rep. erant patricii, unde hi fere soli erant creditores, plebeji debitores. Itaque patricii, universe creditoribus majora, imo nimia jura concedentes, sibi maxime consulebant (4). Attamen ne

(1) Cf. NIEBUHR, T. II. p. 51. VICO, d. l. p. 155. (2) Cf. NIEBUHR, d. l. p. 67. (3) V. Idem d. l. p. 109. (4) Forte

hac quidem in causa iniquius de patriciis judicium ferendum est; mos ille nectendorum debitorum jam ante Decemviros Romae obtinuit, unde nihil novi in suum commodum excogitasse dici possunt (1); nisi quis acutius eos propterea reprehendere velit, quod nectendorum debitorum morem a Servio Tullio abrogatum (2) (cujus de contractibus leges a Tarquinio Sup. antiquatas revocaverunt primi Consules (3)) in Tabulas suas receperunt. In judicio de Decemviris hac in causa probe attendendum est, leges illas, quae vetabant debitores necti, ipsorum tempore rursum in desuetudinem abiisse. Commemorantur enim debitores nexi etiam post primorum Consulum tempora (4). Praeterea Decemviri primum modum usurarum definiverunt, cum antea foenus ex locupletium libidine agitaretur (5); quod certe non fecissent, si jura creditorum in suum commodum quovis modo augere voluissent. Unciarium enim foenus, qualecumque demum fuerit, plebi, id est debitoribus favit, quod apparet ex Livio (6), qui, cum 100 fere annos post XII tabulas conditas rogatio perferretur de unciario foenore, quod jam exoleverat, haec ait: »Haud *aeque laeta* Patribus insequenti anno, C. Marcio et Cn. Manlio Consulibus, de unciario foenore a M. Duillio, L. Maenio tribunis plebis, rogatio est perlata; et plebs aliquanto eam *cupidius* scivit accepitque."

In jure publico vero, in definiendis patriciorum et

unus et alter plebejus in creditoribus fuit (quod vult Nieb. T. I. p. 401. *sqq.* T. I. p. 599. Ed. II.) Hoc tamen nostram sententiam non infirmat. Nam *fere* omnes creditores patricios fuisse tota illorum temporum historia docet. (1) Cf. Nieb. T. I. p. 400. (Ed. II. p. 597. *sqq.*) (2) V. Dion. L. IV. C. 9, 11, 13. (3) V. Dion. L. IV. C. 43 et L. V. C. 2. (4) V. ex. gr. Livius, L. II. C. 24 et 27. (5) V. Tacitus, *Ann.* L. VI. C. 16. (6) L. VII. C. 16.

plebejorum juribus, majore cum iniquitate versatos esse Decemviros exspectes. Verum si attendimus, quomodo in hisce eorum potestas restricta fuerit, cum sacratas leges abrogare non liceret (1), mirum non videbitur, leges, quae nobis de jure publico supersunt, esse aequissimas. Sic leges *de privilegiis non irrogandis*, et *ne de capite civis nisi maximo comitiatu ferretur*, quae populi libertatem quam maxime tuebantur, ambae erant leges sacratae (2). Leges etiam de provocationibus, secundum quas ab omni judicio poenaque provocari licebat, quae in XII Tabulas translatae erant (3), leges sacratae fuisse videntur, quod probatur etiam poenae genere in eum constituto, qui illas violasset (4). Ex iis una fuit lex memorata, *ne de capite civis*, caet. (5). Caeterum provocationes ipsis etiam patriciis proderant. Exemplum in ipso Appio Claudio vide apud Livium, L. III. C. 56. Praeterea, ut patriciis consulerent, minime opus erat Decemviris ut nova et iniqua conderent jura. Antiqua enim reip. institutio, quam procul dubio servaverunt Decemviri, cum ne plebeji quidem illo tempore eam mutari voluisse videntur, satis superque Optimatibus favebat. Patricios tamen legislatores mihi deprehendere videor in lege, qua capitalis poena in eum constituitur, qui coetus nocturnos in urbe fecisset (T. VIII. fr. 26. D. T. IX. fr. 6. G.). Metuebant sibi ab illis nocturnis plebis coetibus (6); unde *primum* XII Tabulis sunt prohibiti (7), quod quidem in suum com-

(1) V. Liv. L. III. C. 32. (2) V. Cic. *pro domo* C. 17. *pro Sextio* C. 30. (3) V. Cic. *de Rep.* L. II. C. 31. (4) V. Dion. Hal. L. V. C. 70. d. l. "τον δὲ παρὰ ταῦτα τὶ ποιεῖν ἐπιχειροῦντα νηποινὶ τεθνᾶναι. Add. Cic. *pro Balbo* C. 14. Cf. Ernesti, *Clavi Cic. in Indice legum* V. *Leges sacratae.* (5) V. Dion. Hal. L. V. C. 70. (6) Ut patet ex Livio, L. II. C. 28. (7) V. Porcius Latro, *Declam. in Catil.* C. 19.

modum, minime tamen inique caverunt patricii, si modo nimis acrem excipias poenam.

Itaque pauca vel potius nulla in XII Tab. adsunt litium patricios inter et plebem vestigia, si leges, quas *scripserunt* Decemviri, spectes. In iis vero, quae *omiserunt*, animum et consilium patriciorum statim agnoscas. Certas sibique notas leges voluit plebs, ne amplius in judiciis a libidine patriciorum penderet. Dederunt illas leges patricii, easque publice proposuerunt; sed rationem, qua exsecutioni mandandae essent, prorsus omiserunt; et sic quam legibus scriptis auctoritatem amiserant, legis actionibus proditis (1) et formulis compositis recuperare sunt conati. In utrisque certis et definitis utendum erat verbis, quae Plebs nesciebat, unde sine patriciorum auxilio nemo plebejus actionem instituere poterat (2). Callidum omnino consilium et patriciis illius temporis dignissimum!

§. 4. *Quid de universa quaestione existimandum sit.*

Itaque sententia nostra de quaestione huc redit: *Legatio omnino Athenas missa esse videtur. Athenis fortasse leges fuerunt descriptae. Ipsae vero Leges, quae XII Tabulis continentur, Atticae non sunt, nec ab Hermodoro confectae. Quin ea, quae a legibus Atticis diversa non sunt, legis Decemviralis placita, optime ex Romanorum illius aetatis ingenio et moribus explicari possunt.*

Et revera legibus peregrinis Romanis opus non erat. Sufficiebant iis, qui tanquam leges non scriptae apud eos vigebant mores antiqui, et leges tum regiae tum

(1) Quod una et altera legis actio jam ipsa lege XII. Tab. indicabatur, plebejis non multum proderat. Ignorabant enim formulas, quibus quaeque erat instituenda, V. GAJUS, IV. § 11 et 16.
(2) Add. GAJUS, C. IV. § 30.

sacratae; quarum in XII tabulas translatarum exempla complura notavimus. Omnes tamen leges regiae in XII tabulas translatae non fuisse videntur (1).

Utrum patricii, cum reverterentur legati jam totum legum codicem paratum habuerint, quae conjectura est Bonamici (2), an vero cum demum confecerint post legatos reversos, equidem dijudicare nolim. Argumentum certe ex brevi tempore, quo confectae sunt leges, petitum non multum probare videtur. Unius quidem anni spatio confectae sunt; verum si earum simplicitatem spectamus, si attendimus, plerasque nihil continere nisi jus antiquum, ita ut potius leges collegerint Decemviri, quam novas confecerint, illud tempus omnino sufficere debuit; et quod tradit Dionysius (3), novos decemviros esse creatos, quia aliquid legibus deesse videbatur propter brevitatem temporis, quo erant conditae, illud potius tribuendum est machinationibus Decemvirorum, qui tales rumores vulgabant, ut iterum crearentur (4). Obstare Bonamici conjecturae videtur, quod vel post reversos legatos non nisi post novas turbas patricii leges conscribi curarent. Utut est, ex legibus Graecis XII Tabulae petitae non sunt.

(1) Argum. Livii, L. VI. C. 1. Cf. Wachsmuth, d. l. p. 369. in f. *sq.* ibique nota 79. (2) d. l. p. 50. Coll. p. 29. (3) L. X. C. 58. »*ἀτελὴς γὰρ ἡ νομοθεσία ἐφαίνετο, ὡς ἂν ἐξ ὀλίγου συντεθεῖσα χρόνου.*" (4) V. Livius, L. III. C. 34.

THESES.

I.

Recte se habet, quod duce Kantio fere proponitur, summum Juris principium: Ne ita agas, ut actio tua externam aliorum libertatem laedat.

II.

Jure Naturae *solo pacto* non transfertur dominium, sed insuper requiritur rei promissae *traditio*.

III.

Juris Naturalis doctores vulgo *juridicam* consentiendi facultatem a *physica* distinguunt. Mihi vero *juridica* eadem esse videtur ac *physica*, cum liberi et pupilli tamdiu tantum in parentum et tutorum potestate degant, quamdiu propter judicii infirmitatem ipsi suas res curare non possunt.

IV.

Ex principiis juris criminalis philosophici legi civitatis poenali

non subsunt facta extra ejus territorium sive a civibus, sive a peregrinis, sive contra civitatem illam aut ejus cives, sive contra peregrinos commissa.

V.

Sunt, qui negent jus puniendi civitatis e pacto tacito oriri, quia illud jus per se necessarium est in civitate; illud autem, quod per se est necessarium, pacto sive expresso sive tacito confirmari opus non est. At vero haec nihil nisi verborum pugna esse videtur. Scilicet homines civitatem inituri agnoscunt illam juris necessitatem; itaque, si illa perspecta nihilominus in civitatem coeunt, *ipso hoc facto* videntur consentire in omnia ea, quae necessaria sunt, ut civitas consistat.

VI.

In Art. 7 *Cod. de Ord. Jud. Crim.* vocabulum *crime* latius est accipiendum, ita ut *delicta* etiam stricte sic dicta comprehendat.

VII.

Si quis uni creditori omnia bona quae habiturus esset, hypothecae onere obligaverit, et deinde alteri fundum quendam, si ejus dominium acquisierit; mox autem fundi dominium ad debitorem pervenerit, creditor quocum pactum hypothecae primum est initum, Jure Romano potior non est, sed concurrit uterque. Vid. fr. 7.

§ 1. D. *qui potiores in pignore*, 20. 4, et arg. fr. 28. D. *de jure fisci* 49. 14. Nec obstat fr. 14 D. *qui potiores in pignore.*

VIII.

Actiones, quibus *certa* pecunia petitur, sunt stricti juris; contra, quibus *incerta* petitur, bonae fidei, aut saepe etiam arbitrariis actionibus annumerandae sunt. Itaque ex stipulatione etiam bonae fidei actio oriri potest.

IX.

Tutela legitima agnatorum magis in tutorum, quam in pupillorum commodum excogitata esse videtur. Tutela sc. agnatis tributa est, ut qui sperarent successionem, iidem tuerentur bona, ne delapidarentur.

X.

Illud: *Uti legassit de pecunia tutelave suae rei, ita jus esto*, pertinet ad testamentum per aes et libram. Videntur autem Decemviri illa lege confirmasse morem, quo jam antea uti coeperant Romani, tum quia rarior erat opportunitas testamenti condendi in comitiis calatis, quae bis tantum in anno hunc in finem convocabantur, tum etiam quia in illis comitiis nimis a pontifice et populo pendebant. Praeterea illa testandi ratio forteasse vel propterea minus placuit, quia testatoris voluntas sic publice innotesceret.

XI.

Usufructuarius dominum nunquam cogere potest, ut rem usufructu oneratam reficiat. Nec obstat Art. 605. C. C.

XII.

Heres beneficiarius, qui facultate ipsi per Art. 802 C. C. concessa utitur, et bona hereditatis creditoribus et legatariis cedit, heres esse non desinit. Itaque in ea etiam bona succedit, quae post cessionem ad hereditatem pertinere deteguntur, ita ut ea, quae deducto aere alieno supersunt, optimo jure sibi adquirat.

XIII.

Testamentum olographum, quod nullum continet legatum, sed unice revocat prius testamentum, vim suam jure hodierno obtinet.

XIV.

Si quatuor sunt rei promittendi, et creditor primo promisit, se contra eum in solidum non esse acturum, secundus autem solvendo esse desiit, creditor a tertio aut quarto tantum petere potest duas quartas partes totius debiti et insuper duas tertias partes portionis, quam secundus, qui solvendo non est, solvere debuisset. Itaque si 1200 floreni debentur, creditor a tertio aut quarto debitore 800 tantum florenos, a primo 300 consequitur; 100, qui de toto debito reliqui sunt, florenorum ipse jacturam feret. Vid. Art. 1210 coll. 1215 C. C.

Date Due
